

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



27284

5

WIDENER




HN YFNM 5

4-128-4




27284.5



BOUGHT WITH
 THE GIFT OF
WILLIAM GRAY,
 OF BOSTON, MASS.
 (Class of 1829).

Aug. 28, 1863.





REYNARDUS VULPES.

POËMA ANTE ANNUM 1280 A QUODAM BALDWINO
E LINGUA TEUTONICA TRANSLATUM.

EX UNICO ADHUC SUPERSTITE EXEMPLO QUOD,
CIRCA ANNUM 1473 ULTRAJECTI PER NIC. KETELAER ET
GER. DE LEEMPT IMPRESSUM, IN BIBLIOTHECA
PUBLICA DAVENTRIENSI ADSERVATUR

RECUDI CURAVIT

M. F. A. G. CAMPBELL,

BIBLIOTHECÆ REGIÆ QUÆ HAGÆ COMITIS EST BIBLIOTHECARIUS.

—•••3263•••—

HAGÆ COMITIS,
APUD MARTINUM NIJHOFF.

MDCCCLIX.

27284.5-

1863, Aug. 28.

.91

Gray Hund.

Bibliothecae Regiae quae Hagae Comitum est Praefectus J. W. Holtrop lexicon bibliographicum edere quum constituisset quod, quoad fieri posset, accuratam complecteretur librorum descriptionem qui saeculo decimo quinto e praelis Neerlandicis prodiissent, consilio mecum communicato voluit ut in materia congerenda ei opitularer. Itaque dum ille eo proposito nobilissimas Germaniae bibliothecas perscrutatur ego domi operam dabam ut omnia conquirerem quae suscepto negotio profutura esse videbantur. Omnes quos adii Universitatum et Athenaeorum Curatores bibliothecarumque Praefecti, quod palam hoc loco profiteri grati animi est, liberali benevolentia quae petebam mihi commodaverunt. E libris autem quos e bibliotheca Athenaei Daventriensis inspiciendos acceperam illum pervolvens qui in catalogo anni 1832 numerum habet 1082 et *Speculum Stultorum* continet Nigelli Wirecker, ex officina Nic. Ketelaer et Ger. de Leempt, Ultrajecti circa annum 1473 impressum, post *Speculum* aliud inveni poemam quod catalogus his verbis refert: „Reynardus

vulpes carmine Latino. Sine ulla indic. » In hoc poëmate laetus agnovi novum et ignotum adhuc opus typographicum ex eadem officina Ultrajectina, quo absoluta jam antiquorum operum typographicorum descriptio insigniter augetur. Quicumque novit quantum pretium sit, non tantum pecuniarium sed et literarium dico, librorum ex officina N. Ketelaer et G. de Leempt, eosque in unaquaque incunabulorum collectione primarium occupare locum, ille facile intelliget quanto gaudio affectus fuerim quum novum hoc reperissem opus quod omnes latuisset bibliographos, eoque magis quod exemplar Daventriense ut videtur unicum ex editione superstes est et tam nitidum ac si nuper praelum reliquisset, marginibusque integris.

Quum vero diligentius inspicerem a contemplando opere typographico sensim animum converti ad ipsum poëma perlegendum. Tum vero cognovi me incidisse in prorsus ignotam versionem antiquissimae e nostratibus animalium fabulis. Deinde reputans forsitan interesse eorum qui rei literariae circa Reinardum vulpem operam dant, poëma descripsi quod nunc, venia a Curatoribus Athenaei Daventriensis impetrata, typis excussum in lucem prodidi.

Hoc quum animo agitare quare operae me pretium facturum esse crediderim hae permoverunt rationes:

Virorum doctorum qui hoc argumentum tractarunt Grimm, Mone, Willems, Fauriel, Jonckbloet, caet. com-

mentarios perscrutanti nullum mihi indicium obvium fuit hujus versionis. Quoniam autem codices manuscripti qui genuinam Reinardi fabulam belgice referunt rari sunt et quodammodo recentes, hic *Reynardus vulpes* minime contemnendus mihi videbatur, quippe qui codicem manuscriptum repraesentet saeculo certe antiquiorem caeteris codicibus manuscriptis adhuc superstitibus.

Antiquissimus enim (Comburgensis) e duobus Reinardi Flandriensis codicibus refertur ad annum fere MCCCC (Jonckbloet, p. IX) et mendis scatet quae partim ex erratis nata sunt partim ex omissionibus. Codex quondam Amstelodamensis quem Willems editioni suae substravit, est saeculi decimi quinti et haud parum mendosus (Jonckbloet, p. XII). Codex autem quo Baldwinus noster usus est jam ante annum 1280 extitit nec fortasse tunc temporis fuit ex recentioribus. *Reynardum* autem *vulpem* anteriorem esse anno 1280 ita demonstratur: Vir ille nobilis cui Baldwinus poëma dedicavit, Joannes Praepositus Brugensis et Insulensis, alius esse non potest quam ille Joannes cujus parentes fuere Guido Dampetraeus (vs. 14) et Mathildis Bethuniensis; nepos ille fuit Guillelmi Dampetraei et Margaritae, Comitis Flandriae (vs. 11) et pronepos Balduini Constantinopolitani (vs. 9). Hic Joannes autem idem est de quo Victor le Clerc commentarium scripsit qui invenitur in opere *Histoire litte-*

raire de la France, vol. XX. pp. 141—144. Hic quartus fuit e quinque liberis quos Guido Dampetraeus genuit e prioribus nuptiis. Hujus Guidonis Dampetraei filius natu maximus, Robertus Bethuniensis, mortuus est anno 1322, octogesimum et alterum vitae annum agens, ergo natus erat anno 1240. Joannes vero quo anno natus sit non constat. Illud certum est eum anno 1280 creatum esse episcopum Metis et duobus annis post episcopum Leodii quo munere ornatus obiit die 14 Octobris 1292. Quare cum Baldwinus noster eum Praepositum appellet Brugensem et Insulensem hinc inferendum est poëma quod ei dedicavit jam confectum fuisse ante annum 1280.

Caeterum quid hoc opus valeat ad vernaculum Reinardi textum corrigendum et interpretandum quaeque aetas sit codicis manuscripti quem Baldwinus secutus est equidem non statuerim; neve quis a me textum expectet critice elaboratum ¹⁾ qui contentus sim si viris doctis de Reinardi fabula ejusque historia bene meritis aliquantulum subsidii attulero ad originem Reinardi fabulae investigandam quam, jam ante annum 1280, Baldwinus praedicavit:

„ Opus — quod non delere vetustas

Impia nec potuit rumpere livor edax. „

1) Interpunctionem tantum versuumque numerum addidi.

Quam bene de re literaria merita sit officina Ultrajectina, Ketelaer et de Leempt, ex hoc librorum editorum catalogo videre licet:

PETRI COMESTORIS Scolastica historia super Novum Testamentum. 1473.
in F°.

B. AUGUSTINI Liber de mirabilibus sacrae scripturae. in F°.

S. BERNARDINI De vita christiana tractatulus. in 4°.

B. BERNARDUS De consideratione ad Eugenium Papam. in F°.

CLAUDIANI SICULI De raptu Proserpinae tragoediae duae. in F°.

Defensorium fidei contra Judaeos, Hereticos et Sarracenos. — Card. DE
TURRECREMATA Tractatus de eadem materia. — Alius Tractatus de
eadem materia sumptus ex historia tripartita CASSIODORI. in F°.

S. GREGORII Papae Liber de conflictu vitiorum atque virtutum. — S.
AUGUSTINUS Contra quinque hereses. in F°.

THOMAE A KEMPIS Opera varia. in F°.

THOMAE A KEMPIS Soliloquium animae. in F°.

Liber Alexandri magni de proeliis. in F°.

C. C. SEDULIUS In librum Evangeliorum. in F°.

G. S. APPOLLINARIS SIDONII Opera. in F°.

S. THOMAE DE AQUINO Liber de rege et regno. in F°.

S. THOMAE DE AQUINO Tractatus de divinis moribus, de beatudine, de
cognitione animae. in F°.

FL. VEDATI RENATI (VEGETII) Epitoma de re militari. in F°.

Floretus quasi flos de sacrae scripturae libris. in F°.

GUIDONIS DE COLUMNA Historia destructionis Trojae. in F°.

HENRICI SEPTIMELLENSIS Liber elegiorum. in F°.

A. M. T. S. BOETHIUS De disciplina scolarium. in 4°. (? cf. Dibdin,
VI. p. 80).

Historiae notabiles ex gestis Romanorum. in F^o.

JACOBI DE THESSOLONIA (DE CESSOLIS) Solatium ludi schacorum. in F^o.

B. HIERONYMI Liber de viris illustribus. in F^o.

PLUTARCHI CHERONENSIS Dicteriae, e graeco in latinum per FR. PHILELPHUM tractatae. — FR. PETRARCHAE De vera sapientia dialogi. in F^o.

VIGELLI (NIGELLI WIRECKER) Speculum stultorum. in F^o.

MAXIMIANI (CORNELII GALLI) Ethica. — Epitaphia et epigramma. in F^o.

Reynardus vulpes (e Teutonica lingua per BALDWINUM translatus). in F^o.

EUSEBII CAESARIENSIS Ecclesiastica historia, per RUFFINUM tractata. 1474. in F^o.

Rei literariae plurimum sane refert investigari quibusnam e bibliothecis typographi codices illos nacti sint quos typis excuderunt, et an codices illi adhuc praesto sint et ubi inveniantur.

Incipit Reynardus vulpes feliciter.

Fabula Reynardi, sicut reor, agnita multis,
Teutonice scripta metricata sonet.

Assit principio nature summa potestas
Tocius muse fons et origo boni!

5 Brugis Preposite, cui nobilitatis origo
Nomen Lidrici pervenit usque ducis;
Primus Flandrensis fuit hic comes hocque creati
Sunt reges, comites sunt quoque, suntque duces.
At proavus cesar Constantinopolitanus

10 Flandrensisque comes Hannonieque fuit.
Ac princeps avia, cui nobilitate secunda
Nec dux sive comes nec reperitur hera;
Regia stirps illam cum sanguine prodit utroque
Ut vivens patrie prefecit illa patrem.

15 Nobilitate nites formaque coruscus haberi
Conjugiumque decor nobilitatis alit.
Gracia dat nomen merito tibi vera Johannes.
Diligeris ipso sic quoque credo Deo.

Tu faveas clero (dux?) cum sis illius, immo
20 Tocius hic cleri forma caputque simul.
Sis pius, oro, michi cum sis dignus pietate
Asscribique tibi carmina nostra sinas.

- J**am Pentecostes aderat lux; florida tempe
 Derident; tellus gramine, fronde nemus;
 25 Pratum, flore nitens, ridet spiratque rosarum
 Suavis odor redolens, lilia mixta rosis.
 Nobilis, ille leo, rector dominusque ferarum,
 Cogit ubique feras ad sua festa, vocans.
 Edictumque facit treugas avibusque ferisque,
 30 Ne quis perturbet turbine festa sua.
 Conveniunt omnes. Vulpes Reynardus abesse
 Proponit, sua quem culpa venire vetat.
 Ut venit ad lucem invite factor iniquus,
 Sic et Reynardus regia festa fugit,
 35 Et, nisi Grimbertus taxus, sunt ipsius omnes
 Hostes, incusant facta parantque queri.
 Isengrinus adest. Stipatus prole suisque
 Feminibus, aggreditur alloquiturque ducem:
 „Rex, tibi monstro querens, Reynardus quae michi sepe
 40 Intulerit dampna, dedecus atque nefas.
 Et mea cum nequeat ex ordine lingua referre
 Crimina que fecit perfidus ille michi,
 Et quamvis taceam de multis, probra satorum
 Uxorisque lupe non reticere queo.
 45 Fecit adulterium cum conjuge, lumina ademit
 Natis urinans, cecus uterque manet.
 Ut tractaretur de pace diesque statuta
 Est; offert sese subdere justicie.
 Tradunt jura, quod is se cum juramine purget;
 50 Assunt sacra.... negans in sua castra fugit.
 Suntque tui testes michi primates. Misereri,
 Te rex posco, meis dedecorique meo! „
 Finierat lupo atque venit Curtois, canis. Intrat.

- Ad regem: „ Quando Bruna vigeret, ait,
 55 Pauper inopsque fui; nisi sola cencrea nullus
 Pastus erat; vulpes me spoliavit et hac. „
 Audit Tibertus, catus, hoc, irascitur; ipsum
 Prosilit in cetum sicque profatus ait:
 „ Tu quia Reynardo, bone rex, irasceris omnes
 60 Sunt hostes. Canis hic quod loquitur nichil
 Elapsos ultra multos hoc contigit annos.
 Cum vetus existat jure querela cadat.
 Non sua sed nostra fuit esca, moleque magistro
 Abstuleram, furtis abstulit ille michi.
 65 Cum nichil juris habeat Curtois canis, illam
 Cum sit predatus, desinat inde queri. „
 Pancetus, castor, respondet ad hec: „ Tace. Quidnam
 Est quod vis? Curtois desinat ergo queri?
 Ille nephanda lues, Reynardus, et invida cunctis
 70 Non excusandus sed cruciandus erit.
 Nec domino regi nec cuiquam parceret ille
 Is quin traderet hunc, premia parva ferens.
 Hesterna magnum scelus hic michi luce peregit.
 Quem male tractavit, ecce Cuardus, adest;
 75 Infra regales treugas fedusque statutum
 Promictebat eum cantibus instruere.
 Cantibus intendunt ambo. Pertranseo; novi
 Acceleroque vias invenioque duos;
 Jam magister adest veterique joco vacat; ipsum
 80 Discipulum leporem strangulat ore fero
 Huncque peremisset nisi presens forte fuisset.
 Ecce, recens vulnus comprobat ista suum.
 Ni rex punieris pro tali fraude nephandum,
 Dedecus a sera posteritate feres. „
 85 Isengrinus ait: „ Verum, Pancete, profaris.

- Perfidus hoc dignus quod moriatur erit.
 Hoc scelus indultum sit ei, breviter quis ab illo
 Qui non presumit, estimo, lesus erit? „
 Audit id iratus Grimbertus, surgit ad illos;
 90 (Reynardi fratris filius iste fuit):
 „ Est vetus exemplum, lupe, dixerat: os inimicum,
 Quod bene jam scitur, rarius equa refert.
 Arguis in multis patrum, quibus ipse teneris
 Jure reus si rem cum ratione notes.
- 95 Si duce dilectus foret et primatibus eius
 Patruus et simili curia jure favens,
 Nequaquam posses evadere quin reus esses
 Et dampnandus in hiis tu quibus hunc arguis;
 Dente momordisti tu pellem sepius huius,
 100 Morsu dum valuit non resilire tuo.
 Non pertiris ei plais bigis tibi jactis,
 Quamvis hiis nimium tu saturatus eras?
 Rodendum prebes os ex hiis piscibus illi.
 Hunc quoque fraudabas ipse bacone bono.
- 105 Dum partem peciit, tu restem rodere perne
 Precipis, hanc dicens: „ Rodito, pinguis enim est. „
 Hunc acquisivit per summa pericula vulpes;
 In sacco capitur sicque retentus erat;
 Ille per ingenium licet evasit. Graviora
- 110 Hiis et majora sustulit ille lupo.
 Preterea magis est mirandum conjugis eius,
 Herses, quod patulo proba notanda refert.
 Quod dilexit eum lupa per tempus scio longum;
 Tali ferventes igne dedere fidem.
- 115 Si se Reynardo subjecit amore quod inde?
 Statim sana fuit, tristia nulla tulit.
 Sic lepus injustam parat exercere querelam

- Discere qui peccit, monachus esse volens.
 Si male cantavit non mirum, jure magister
- 120 Reynardus potuit cedere discipulum.
 Pro sibi sublatis queritur Curtois canis extis,
 Que male quesivit per sua furta catus.
 Que male queruntur male perduntur, patruusque
 Furta quod arripuit nil forefecit in hoc.
- 125 Postquam sunt regis facte treuge scio certe
 Quod nichil arripuit quo reus esse potest.
 Vestibus induitur duris et cuncta reliquit;
 Jejunat, vigilat, pallidus atque macer;
 Dimisitque domos, castella, velutque reclusus
- 130 Non gustat carnes, pinguia; degit inops. "
 Talia dum fatur, spectant de valle venire
 Clanclerum gallum prole suisque satis.
 Impositam feretro Coppam quoque sive Copitam
 Cernunt, quam vulpes reddidit achepalam.
- 135 Clanclerus quociens pennas percussit; utrimque
 De feretro gallus ibat eratque dolens.
 Craiart et Cantart gestant duo lumina, fratres
 Defuncte: feretri stipat uterque latus.
 Pintaque cum Sprota feretrum gestat; dolor harum
- 140 Non modicus fuerat; flent nimis atque gemunt;
 Germane Coppe fuerant. Sic ante tribunal
 Regis perveniunt incipiuntque queri.
 Prosilit in cetum Clanclerus et ista profatur:
 " Audi me, bone rex! et miserere mei.
- 145 Dum transivit hyemps et mensis Aprilis adesset
 Audax exieram prole satisque meis.
 Octo satos habui septemque satas michi prudens
 Trutula quas uno protulit accubitu.
 Fortis eram, juvenisque potens; infra quoque curtis

- 150 Septa manebamus, firma tenore suo,
 Custodesque canes nostri fuerant ibi multi
 Qui bene noverunt exagitare feras.
 Insidians vulpes tociens inviserat ipse,
 Quod clausi et tuti non fueram^{us} ibi,
- 155 Circumiens muros. Semel a canibus reprehensus
 Et quoque pellis ei dilacerata fuit;
 Sed tamen evasit quam noverat arte nefanda.
 Post rediit, vestes religionis habens;
 Protulit et cartam, signatam nomine regis,
- 160 Hocque michi titulo scripta legenda datur:
 „ Rex leo precipio treugas avibusque ferisque
 Sub pena mortis quas fore mando ratas. „
 Insuper et dixit: „ De me, Clanclere, valebis
 Ammodo securus vivere nilque timens.
- 165 Devovi carnes et pingua mandere cuncta;
 Ammodo jam sancte vivere quero senex.
 Vado, vale; Cursus ego sum dicturus et Horas. „
 Sic abiens cepit dicere Credo suum.
 Hiis super exultans abii puerosque petivi
- 170 Cum quibus exivi septa timore carens.
 Furtive latebras fruticum transiverat iste.
 Dum pervenit ubi sum puerique mei,
 Protinus e numero puerorum surripit unum;
 Vescitur hoc. Instant tristia multa michi!
- 175 Postquam gustavit nec custos nec canis illos
 Illius potuit morsibus eripere.
 Perduxit pueros ter quinos usque quaternos;
 In tanto numerus est minor iste meus.
 Illi luce canes hesterna surripuere
- 180 Coppam presentem. Rex miserere mei! „
 Rex ait: „ O Taxe! patruus tuus atque reclusus

Annum si vivam tam sacra facta luet.

Jam Clanclere sine; tua filia mortua constat

Quam nos non quimus plus retinere diu.

185 Exequiis pulchris terre tradamus humandam;

Consilium super hiis post habiturus ero. "

Jam defunctorum carmen cantare jubebat;

Inchoat altisono turba Placebo sono.

Quis lector vel quis cantor fuit, hoc michi longum

190 Enarrare foret vel recitare grave.

Exequiis factis, tilia sub amena, Copita

Ponitur in tumulo, condita sarcophago.

Marmor par intro tumulo superadditur alto

Insculptumque gerit istud epitaphium:

195 " Functa sua vita jacet hic tumulata Copita;

Vitam demit ei vulpes fera progeniei. "

Tractatur qualiter vulpes posset haberi.

Rex, hiis finitis; barones cogit in unum

Ut super hiis tractent judiciumque ferant.

Consultus super hiis tractans deliberat omnis,

200 Judicium regi consiliumque parant.

Tandem decernunt, quod debeat ille citari

Pareat ut juri. " Brunus et istud agat, "

Rex ait, " urse! tibi commendo negocia cause,

Te rogo sis cautus et sapienter agas;

205 Gestiet ille nimis te ludere, teque

Fraudabit verbis, si queat, arte sua. "

Brunus ait: " Rex! me jam castigare recuso.

Non volo quod prosolliciteris in hoc.

Si me deludat peream! vel decipiat me

210 Hunc quin compellam deteriora pati. "

Sicque vale faciens abit, indignando superbus.

- Huic tamen eveniet tristia multa pati!
 Jamque iter arripuit, indignum pectore gestans
 Quod leva Reynardus fallere posset eum.
- 215 Sic per opaca ruit nemorum vicinaque silve
 Proxima que stabant; ad loca vasta venit.
 Pascua Reynardus querens fuerat quibus usus.
 Invenit hic curvas multimodasque vias;
 Est mons vicinus quem scandere debet et altus
- 220 Si Malepertusum Brunus adire velit.
 Plurima castella adservat. Sed, dum metus instat,
 Incolit hoc, reliquis firmitus istud erat.
 Jam iter expediens transitque suburbia valli
 Brunus et ad portam pervenit usque domus
- 225 Et, cauda residens: "Regis legatus, ait, sum
 Qui sacra testatur, ni venias, quod abis.
 Illius ex parte juri parere cito te,
 O Reynarde! veni, ne moriari male
 Te cruce suspendet, vel membra rotis tua franget.
- 230 Ergo celer mecum, consulo nempe, veni. "
 Audet Reynardus; jacet in porta, sed ad ima
 Jam loca descendit, plurima premeditans.
 Jam Brunum novit, sed consilio parat uti
 Illum quo salvo fallat honore suo.
- 235 Et, sic premeditans, illi respondet aitque:
 "Grates consilio do tibi, Brune, tuo.
 Ut non venisses! Ego curtim regis adissem
 Jamque novis plenus ventre tumesco cibis,
 Jam nequeo stare timeoque quod ire nequibo.
- 240 Ultra mensuram sum satur ipse nimis. "
 "Dicque quod edisti?" "Quod edebam? vilia certe
 Vili nos inopes vescimur usque cibo.
 Mella favis edi, quorum michi copia grandis,

- Sed tamen hiis esis usque dolore gravor. "
- 245 " Quid Reynarde refers? Reputas tu vilia mella?
 Dulcius hiis nichil est, nil amo melle magis.
 O bone Reynarde! tu procura michi mella,
 Ad finem vite dulcis amicus ero. "
- "Brune, quid est? Vismel? Credo loqueris michi ludens."
- 250 " Non facio, sed mel, dulcis amice, rogo. "
 " Dum fuerim certus quod mella velis, bone Brune,
 Quod nequeas denis mandere tanta dabo. "
 " Ne dicas denis, Reynarde! Scias quod mella,
 Que procul aut prope sunt, omnia solus edam. "
- 255 "Brune, quod est quod agas? Prope degit rusticus unus,
 Lanfreidus dictus; mella tot ille tenet
 Quod non per senos annos consumere posses.
 Hec tibi cuncta dabo si michi fidus eris
 Et pro me placites ad curtim. " Vovit idipsum
- 260 Brunus, quod fieret fidus ubique suus.
 Nunc Bruno dixit: " Tibi tam promptum foret omne,
 Brune, bonum sicut quam cito mella tibi,
 Quamvis metretas septem capias. " Ea Bruno
 Dicta placent, ridet, vix quoque cessat ab hoc.
- 265 Cogitat hic: " Si vim tenet ars mea, Brune, brevi te
 Ducam quo ridens non eris, ymmo dolens. "
 Exit ad hec: " Care mi, salve, dixit; habere
 Si lucra vis poteris non remanere diu.
 Vadamus curvamque viam teneamus; habebis
- 270 Jam satis ingenium si valet usque meum. "
 Penas non cenas, non mel sed fel vovet illi;
 Sic mel in ore gerens corde venena ferens;
 Sic multos quos consultos firmam tibi rerum
 Ferre fidem, sed idem jam dare certus eris.
- 275 Jamque iter expediunt. Lanfreidis septa subintrant.

- Lignorumque faber optimus iste fuit.
 Lignum quercinum videre jacens ibi, clavis
 In quo confixis rimula facta fuit,
 Panditur; hoc gaudensque videt Reynardus et inquit
 280 " Melle fluit vas hoc; i properans et ede.
 Dulce licet mel sit, sapiens age; perditus essem
 Si tibi mel noceat; tu sapienter edas. "
 " Nil timeas, ait hic, non sum stultus, bene norim
 Istis quis rebus debeat esse modus. "
 285 " Vera refers, ait hic, ede! " Tunc Brunus caput infert
 Cum pedibus primis, mella vorare parans.
 Extrahit hic clavos; jam lignus clauditur, intus
 Captus cum capite cum pedibusque manet.
 Quid modo Brunus agat, licet is robustus et audax
 290 Extitit, hoc illi non valet, immo nocet;
 Sic captus nunquam se solvi credit in altum.
 Reynardus stans est undique propiciens;
 Lanfreidum celerem vidit ille venire securi
 Et dolabro. Bruno talia dixit ovans:
 295 " Gaude, manduca, my Brune! Tuus venit ecce
 Lanfreidus, fundet pocula nempe tibi. "
 Hic dicens abiit. Lanfreidus adest. Videt ursum
 Sic captum; rediens concito, querit opem.
 Ad villam stantem propius ruit ille palamque
 300 Ursum sic captum nunciat ille viris.
 Omnis eum sequitur populus, ruit omnis in arma
 Utraque plebs, capiens spicula multimoda,
 Fustes, temones, fossaria, flagra, ligones,
 Uncos et stinas, ut veniunt ab agro.
 305 Custos vexillum, crucis hastam presbiter, uxor
 Illius gestat ipsa Julocca colum.
 Sicque ruunt vetule, que vix dentes habuere

- Queque movere pedes vix valuere suos.
 Sic fit, ut a vulgo solet assidue recitari,
 310 Dum currus stat aque plurima verba sonant
 Quisque sibi caveat dum dampna pericula servat
 Sepe gravare magis nititur omnis eum;
 Quod patet in Bruno, cui multi multa minantur
 Qui non auderent si suus ipse foret.
 315 Brunus stat dubius; licet ipse pericula, penas
 Atque metus retinet, deteriora timet.
 Audiit ut voces hominum tot totque tumultus,
 Cogitat intra se: „ Fata probare licet! „
 Extrahit ergo caput; manet intus pellis et auris
 320 Leva. Suosque pedes nititur extrahere;
 Hii licet extracti sint, unguis pelle priorum
 In trunco cunctos deserit ille pedum;
 Sanguis et offuscans oculos de vulnere manat.
 Sic nec abire potest et remanere timet.
 325 Dum dubitat quid agat, sub sole videt venientem
 Lanfreidum; sequitur plurima turba minax:
 Tytarus, Dumetas, Daphius, Alexis, Hyalas,
 Egori et Damori sic Alphisabeus, Amidas;
 Cum Licia Moeris, Tirside Codrius adest;
 330 Et plures alii, quorum male nomina novi,
 Assunt. Invadunt; hic ferit, ille jacet;
 Custos vexillum movet et miserum ferit illum
 Presbiterique trucis hunc ferit hasta crucis;
 Contum cornutum movet ocris et hunc male tutum
 335 Invadit feriens, lumina percuciens;
 Lanfreidusque, magis addens fera verbera plagis,
 Non parcit misero quem ferit ense fero.
 Nec minus octo furis ferit hunc tua seva securis
 Juncturis humeri se gemit ille teri.

- 340 Sed hic, elisus de verbere, fit sibi nisus;
 Fortis et insanus prosilit inter anas,
 Quarum de numero quinas projecit in ampnem
 Labentem; subtus unus Julocca fuit.
 Presbiter, ut vidit dominam sic ampne natantem,
- 345 Dimittit miserum, vociferatur ita:
 „ Ecce Julocca natat! properate cito, moneo vos;
 Uncis hanc liquidis fluctibus eripite
 Et vobis, penas relevans, bis quinque carenas
 Do, vestrum cuique dummodo detis opem. „
- 350 Dimittunt omnes miserum parentque, moventis
 Indictis, dominam fluctibus eripiunt.
 Talibus intentos dum Brunus viderit omnes,
 Volvitur in fluvio sicque natando fugit.
 Ruricole stantes spectant ripamque tenentes
- 355 Improperant illi: „ Quo fugis? Adde moram! „
 Ille natat qua parte magis declivior unda
 Labitur; in preceps volvitur atque fugit,
 Cunctorumque memor, tristi jam corde retractat
 Ictus et jactus quos modo passus erat.
- 360 Primo Reynardo maledicit, qui modo mella
 In rima trunci querere jussit ei
 Ocris; Lanfreidi, custodis presbiterique
 Hactonisque memor, jam maledicit eis.
 Sic aliquantisper longe nans, sanguine plenus,
- 365 Saucius et fessus, debile fecit iter.
 Jam natat ad ripam properans; jacet, ylia pulsans;
 Reynardum cunctis judicat esse reum.
 Reynardus gallum Lanfreidi jam prope septa
 Ceperat; hunc defert, abdita mortis adit.
- 370 Nullius iter hoc est; placet hoc ipsum quia nemo
 Arceat ut predam deserat ipse suam.

- Implumem gallum jam reddit; vescitur illo.
 Jamque sitit; sitiens querere curat aquam.
 Estus erat; ruit ille cito sudorque per ora
 375 Defluit; hic et aquas ampnis adire cupit.
 Cor letum gestat et gaudia corde volutat:
 Lanfreidum Brunum decoriasse putat.
 Sic fatur: " Jure jam gaudia debeo ferre:
 Mortuus est michi qui maximus hostis erat.
 380 Est actum nostro de concilio tamen istud,
 Non tamen a quoquam judicer ipse reus."
 Sic ait; ad vallem tendit, Brunumque jacentem
 In ripa cernit ulterioris aque.
 Cumque videt Brunum, dolet, et quo gaudia pridem
 385 Gestabat, gestat pectore tristitiam
 Et dicit: " Lanfreide, miser, tu sis maledictus
 Qualiter evasit qui tibi captus erat.
 Nescis quanta latet dulcedo cornibus ejus?
 Vescitur usque libens nobilis omnis eius."
 390 Ille facit finem dictis; descendit ut ipsum
 Cercius exploret et videat quid agat.
 Egrum dum videt hunc et vulnera multa gerentem,
 Ylia pulsantem, jam videt ista libens.
 Dicit: " Presul, ave! Reynardus adest, tuus ille
 395 Hostis et invisus, quem modo cerne precor!
 Quis barbam rasisit et tonsuram tibi talem
 Quis dedit? hic leva transit ab aure caput.
 Abbas aut prior es? tonsura probat tua talis,
 • Namque tuum decorat magna corona caput;
 400 Atque chirotecas hirsutas exposuisti
 Quod manibus nudis, estimo, sacra colas."
 Audiit hec Brunus; vindictam non valet inde
 Sumere, sed surda preterit aure probra

- Et redit in fluvium velox et tranat eundem
 405 Et venit ad ripam citerioris aque;
 Qualiter ignorat jam regem possit adire;
 Suntque pedes egri, stare vel ire nequit.
 Sic iter arripuit, caudaque sua residendo,
 Per femur utrumque vertere cepit humum;
 410 Sicque fatigatus se per sua membra volutat,
 Et rotat in girum sic abeundo procul.
 Quando venire vident hunc qui cum rege fuerunt,
 Mirantur. Primo rex bene novit eum.
 Rex ait: „Ecce venit Brunus meus, ille satelles,
 415 Saucius et lesus per caput ipse rubet;
 Et quis eum lesit? „ Prope regem venerat ille.
 Dum fari potuit, jam gemit hic et ait:
 „ Rex! pro Reynardo queror, hic quia perdere fraude
 Aurem me levam fecerit atque genas;
 420 Sic quoque me lesit.„ Sed rex ait: „Ulcio digna
 Ni super hiis fiat, sim maledictus ego! „
 Denotat hoc illos, quos gloria vexit inanis.
 Prelatinus honor quando paratur eis
 Nec curant leges sed querunt lucra, rapinas.
 425 Propria non tribuunt ast aliena vorant.

Mittitur catus pro vulpe.

- N**ec mora: Barones ad concilium vocat omnes
 Ut jam decernant quid facient super hiis.
 Decernunt cupiuntque quod hic iterato citetur,
 Tibertusque catus nuncius ibit ad hunc,
 430 Reynardo quin privatus is est et amicus
 Et, quamvis parvus corpore, mente valet.
 Regi consilium placet hoc. „ Cate, dicit, abito
 Ut tecum veniat; fac cito namque potes;

- Ex istis quidam dicunt tibi quod bene credit
 435 Consiliisque tuis utitur ille lubens.
 I celer ergo. » Catus respondet: » Me, bone, noli
 Mittere rex! dubito qualiter illud agam.
 Et cum non potuit Brunus, tam fortis et audax,
 Istud perficiam quomodo parvus ego? »
- 440 Rex ait: » Es prudens, quamvis parvus; quia multi
 Per vim quod nequeunt artibus illud agant.
 Quod jubeo cito fac. » Ait hic: » Jam mittor ad istud
 Tristi mente; bonum det Deus inde michi! »
 Sepe futurorum mens est presaga malorum,
- 445 Affore testatur que mala sepe sibi.
 Tiberto placet hoc, qui tali mente tetendit
 Regis ad imperium, nam mala multa tulit.
 Jamque iter aggreditur currens, procul inde venire
 Fatalem larum prospicit, hic et ovat:
- 450 » Salve, lare! refert, latus ad dextrum michi pennas
 Verte tuas; transi sic et ad alta vola. »
 Jam videt hic fruticem, per quem transire volebat,
 Perque latus levum transit ille suum.
 Sic per avem factum Tibertus idem sibi signum
- 455 Pro tristi reputat, nec placet omen ei.
 Mente tamen valida suffert et gaudia monstrat
 Exterius que non intima cordis habent.
 Ad Malepertusum veniens, jam repperit illic
 Reynardum, portam qui stetit ante domus.
- 460 Stabat enim cantans, jubilans quoque deliciose,
 Ut princeps regni tocius ille foret.
 » Salve Reynarde! Tibertus dicit, amice,
 Atque bonam noctem det Deus ipse tibi!
 Rex jubet ut venias mecum, mortemve minatur
- 465 Hic tibi ni venias. Tu celer ergo veni. »

- „Care nepos! Reynardus ait, bene jam venias tu,
 Tu michi dilectus; sum tibi nempe favens. „
 Nil nocet inter eos Reynardo blanda loquela;
 Corde dolos tractat dulciter ore loquens.
- 470 Apparens istud fiet notumque priusquam
 Cunctorum finis venerit inter eos.
 Sic quoque sunt multi, qui coram dulce loquuntur;
 Sed tamen est nequam post et iniqua fides.
 Dicit item: „ Mecum pernocta, maneque primo
- 475 Ad regis pariter ibimus ambo domos.
 Non cognatorum cuiquam plus quam tibi fido,
 Tu quia cognatus es meus atque nepos.
 Venerat hic Brunus; tam fortis tam ferus ille
 Extitit ut secum currere pertimui.
- 480 Ibo tamen tecum dum crastina venerit hora;
 Ortus aurore suscipiamus iter.
 Ergo morare veni. „ „ Quid edemus si moror? „ inquit.
 Alter ait: „ Rara nunc, ait, esca michi.
 Melle potes vesci. Vis mel? „ „ Non. Est ne tibi mus?
- 485 Jam murem tantum da, satis illud erit. „
 „ Vis mures? „ dixit. „ Volo. Mures diligo, nam mus
 Est dulcis; cunctis plus placet ille cibis.
 Muribus ergo me posset redimi tua culpa
 Quamvis occisor jam patris ipse fores. „
- 490 Hic ait: „ Ergo veni. Hic prope presbiter unus
 Tot pingues mures horrea cujus habet,
 Quos non gestaret currus; tot sunt ibi mures
 Quot sua conqueritur horrea cuncta replent. „
 „ Essem nunc utinam presens! „ ait ille. „ Veni nunc,
- 495 Te ducam mecum; nunc et eamus, „ ait.
 Jam properant ambo. Veniunt ad tecta cupita
 Et cingit paries terreus omnis ea.

- Preterita nocte fracturam fecerat illic
 Reynardus, gallum dum tulit inde bonum,
 500 Presbiterique puer est iratus laqueumque
 Ut vulpem capiat insidiando struit;
 In lustrum laqueum sistit. Reynardus idipsum
 Noverat, intrare suadet et ipse catum:
 „ Intra, manduca, Reynardus dicit, et audi
 505 Qualiter aludens mus ruit omnis ibi. „
 Dicit Tibertus: „ Intrem? Suades ne nocivus?
 Novi presbiteros tot quoque scire dolos,
 Hos attemptare dubito. „ Reynardus ait tunc:
 „ Audax esse soles. Hic metus unde venit? „
 510 Jam pudet hoc dixisse catum; cito prosulit, intrat
 Et cadit in laqueum qui sua colla ligat.
 Paret adulantis infida fides. Ita demon
 Vel caro vel mundus istius instar habet,
 Sic et aduantes per mundi nos mala ducunt
 515 Donec nos faciant mortis adire mala.
 Ergo resistamus istis suasionibus omnes
 Ne nos in laqueum per mala facta trahant.
 Stat catus; in laqueo delusum se videt; alto
 Clamorem miserum protulit ille sono.
 520 Martinusque puer excitur. Clamitat: „ Eya!
 Vulpes est capta, percuciamus eam. „
 Suscitat inde patrem, matrem, reliquos quoque cunctos;
 Nudus et e lecto transvolat ipse pater;
 Et puer, accelerans, it ad illum, clamitat: „ Hic est. „
 525 Accendit lumen ipsa Julocca cito
 Uxorisque colum sumit pater et ferit illum.
 Invadunt omnes nemoque parcit ei.
 Martinus petram sumit, quam jecit in illum,
 Et percussurus elevat ipse colum.

- 530 Tibertusque videns metuensque mori, ruit illi
 Inter utrumque femur; dentibus, ungue fero
 Extrahit hic unum de testibus. Idque Julocca,
 Quando videt, nimium dolet hec et ait:
 „ Non ego pro magno vellem jam munere testor
- 535 Quod dolor hic nobis contigit atque pudor!
 Vellem quod nunquam laqueus situs iste fuisset!
 Is pro quo pereat iste statutus erat!
 Care puer, patris hoc est de testibus unus,
 Dampnum nempe mecum dedecus atque suum,
- 540 Et quamvis fuerat sanatus vulnere tali
 Non hic ad venerem promptus et aptus erit. „
 Audit Reynardus, sicut stetit ante foramen;
 Pro magno risu sibilat ille culo.
 Jamque: „ Julocca sine, dixit, dolor immodicus cur
- 545 Est tibi? Solare tristia corda tua.
 Vidi multociens oracula que resonabant
 Una campana, nec pudor extat eis.
 Presbiter allisus, dum sanus erit, bene sola
 Campana poterit hic resonare tibi,
- 550 Sicque parum perdes resonando locumque prioris
 Fratris qui superest suppleat ille tibi. „
 Hec dicens abiit Reynardus presbiterumque
 Ad molles portant jam recubare thoros.
 Designantur in hoc bene mores presbiterorum
- 555 Qui sunt incesti luxuriamque colunt.
 Dicuntur merito nudi virtute, pudore
 Cum nichil hos sceleris luxurieque pudet.
 Testiculos perdunt cum per mala sunt muliebres
 Actibus et fugiunt mollibus esse viri.
- 560 Sic in derisum populi veniunt, inhonorant
 Se per luxuriam perque gulosa mala.

- Clade sacerdotis videt illos quando morari
 Molitur funem rumpere dente catus.
 Quo rupto, properat fugiens extraque foramen
- 565 Prosilit atque suas arripit ille vias
 Et venit ad regem sol quando cepit oriri.
 Saucius et lesus constitit ante ducem.
 Hunc amisisse dum rex lumen videt unum,
 Reynardo duras protulit inde minas
- 570 Ac ad consilium primates cogit in unum.
 Ignorat quin quid faciat super hiis?
 Sed de consilio dubitant. Consurgit ad illos
 Grimbertus: " Multa vos agitatis, ait;
 Sit licet michi duplo patruus nocuus, vice trina
- 575 Postulat ut juris ordo citatus erit
 Utque solet liber; si jam non venerit, horum,
 In quibus arguimus, tunc erit ille reus. "
 Rex: " Grimberte, refert, quis vis trino citet illum?
 Quis quoque vult oculum perdere sive genas?
- 580 Audax nullus erit. " Grimbertus dicit ad ista:
 " Audeo; si jubeas hoc opus aggrediar
 Providus et cautus. " Tunc rex ait: " O bone, vade!
 Ne te decipiat per mala facta cave. "

Mittitur taxus pro vulpe cum quo venit.

- Sic Grimbertus abit, Malepertusum petit. Illic
- 585 In foveam patrum repperit atque suos.
 Quam cicius potuit patrum natosque salutat
 Ac Hermelinam dulciter hic et ait:
 " Tempus adhuc, Reynarde, tibi non esse videtur
 Ut mecum venias regis ad hospicium?
- 590 Hoc accusatus multum graviterque citatus
 Es ter. Quod venias consulo nempe tibi.

- Sique diem trinum transire sinas tibi nulla
 Esse potest venia, jus perit omne tuum.
 Et Malepertusum rex destruet antequae portam
 595 Ipse crucem faciet constituetve rotam
 In qua punitus fies uxorque satique
 Subdentur penis; ipse nec effugies.
 Consulo quod mecum vadas; tibi contigit usque
 Major fortuna difficilisque magis
 600 Quam coram cunctis per jussum regis abires;
 Cras liber causis in quibus argueris. "
 Inquit Reynardus: " Scio quod verum michi dicis.
 Ire tamen tecum jamque timesco satis,
 Nam cuncti qui sunt illic michi sunt inimici.
 605 Ire bonum si rex me sinat omen erit,
 Et tamen ire michi melius quam perdere cuncta,
 Uxorem, natos lustraque sive domos;
 Sique tenere velit nos rex vitare nequimus;
 Tecum quando velis ire paratus ero.
 610 Hermelina, meos commendo modo tibi natos
 Ut pascas foveas hos dape mente bona.
 Et Reynardinus, cujus lanugo nitescit,
 Assuescet patris actibus ille reor.
 Nunc quoque commendo reliquos, specialius illum.
 615 Est quoque Roscellus fur bonus atque sagax.
 Sique bonum facias natis, si venero sospes,
 Grates condignas reddere promptus ero. "
 Sique vale faciens abiit. Tristantur et uxor
 Et nati dum sic propria cuncta fugit.
 620 Aggrediuntur iter Grimbertus patruus eius.
 A Malepertuso non procul exierant
 Unde Reynardus ait: " En aspice, dulcis amice,
 Pre timore gravi sudo tremoque necis,

- Jamque mori vereor contricio magna movet me
625 De culpe factis preteritisque malis.
 Sed si confessus fuero mea crimina fiet
 Clarior et veniam spiritus inveniet. "
 Alter ait: " Si vis veraciter illa fateri
 Et liber cunctis jam fore criminibus,
630 Jam detestari tu debes furta, rapinas,
 Vel confessio nil proderit ista tibi. "
 Ille refert: " Verum dicis; non presbiter ullus
 Est hic; audi me jam rogo, consulo te. "
 Incipit hic et operta simul perversaque fari.
635 Alter ait: " Nequeo sic tibi consulere;
 Ut sunt facta michi debes probra cuncta fateri
 Utque sciam veniam si cupis inde dari. "
 Denotat hoc quod sit confessio raro fidelis
 Ultima; quin venit sera metuque necis
640 Quidam verborum per pallia probra fateri
 Sic cupiunt; sed non est dolor ille bonus.
 Vera frequens humilis confessio pura fidelis
 Sic sit, ut auditor crimina cuncta sciat.
 Incipit hic iterum: " Cunctis avibusque ferisque
645 Me peccasse queror; est mea culpa gravis.
 Ac Isengrinum plus quam tibi dicere possum
 Decepi tociens, nec suus exsto nepos;
 Hunc patruum dixi quod per mendacia finxi
 Utque magis possem fraudibus esse nocens.
650 Hunc et ad almariam duxi; nos ambo recepti
 Illuc et exstitimus religione simul.
 Discere nempe cupit ibi campanas resonare;
 Ac campanarum funibus apto pedes
 Quos trahit et retrahit, placet et non destitit inde
655 Dum icti veniunt iniciuntque manus,

- Huncque peremissent, si non statim retulisset:
 „ Fratres desinite, monachus exsto loci. „
 Post hinc tonderi faciebam fraude coronam
 Et poterit semper illius esse memor.
- 660 Cunctos de capite crines uri faciebam;
 Contrahitur cranium pellis et usta fuit.
 Post supra glaciem pisces huic querere suasi;
 Imposita cauda sic residebat aquis;
 Frigus erat magnumque gelu quod cogeat undam
- 665 Et dixi: „ Caveas ne moveare sedens! „
 Commovet ille tamen caudam leviter, michi dicit:
 „ Care nepos, multis sencio piscis adest. „
 „ Desine tunc moveas non amplius illam
 Dum veniunt pisces. „ Hic sedet, heret aquis.
- 670 Novi lux oritur; curro, pertranseo villam,
 Excito jam populos tunc moveoque canes;
 Diffugio; veniunt populusque canes quoque; caudam
 Nititur extrahere, non valet, heret aquis.
 Cernitur, invadunt omnes; trahitur, baculatur,
- 675 Ictibus et canibus sic obiisse putant.
 Unus et exemit gladium, ferit, amputat illi
 Caudam; vix, lesus, aufugit ille miser.
 Inde reconcilior huic, pacem michi prestat,
 Anni per spacium jurat amicitiam.
- 680 Altilibus multis illum vovi saciare
 Firmior ut nostra duret amicitia.
 Inque domo, juxta valvas, dixi residere
 In trabe cum gallo ter quater altilia;
 Hos illi vovi concedere dummodo mecum
- 685 Iret. Abimus ibi, scandimus alta domus
 Stansque metu juxta valvas ait: „ Invenio nil. „
 Dixi: „ Cur intra, jam satis invenies. „

- Et dubitans intrat; quod eum fraudare valerem
 Dum video moneo, procidit interius.
- 690 Hoc casu cunctos hic suscitât ede cubantes;
 Surgunt, accendunt lumen eumque vident.
 Invadunt illum, capitur, trahitur, laceratur;
 Qualiter evasit non bene scire queo.
 Pacificor rursus huic, carnibus hunc saturare
- 695 Vovi sumque per hoc factus amicus ei.
 Terra que fertur Viromandia, presbiter unus
 Mansit et Amplois villa vocata fuit;
 Dicio hoc nullus; cameram retinebat, in illa
 Carnibus apposita plurima perna fuit
- 700 Quaque latens feci cum fraude foramen et illuc
 Intravi tociens hinc alimenta trahens.
 Huc Isengrinum duxi mecum: sed et illud
 Intramus; dictis vescimur ambo cibis.
 Tot vovât is quod venter tumet, sic parte reverti
- 705 Non valet ille satur qua venit esuriens,
 Sed manet hic pleno cum ventre foramine captus.
 Hunc ego quod possum fallere cerno locum.
 Presbiter hic habuit dilecte nempe caponem
 Quem placido fecit pectore ferre nolam,
- 710 Assuetus manibus cunctorum sumere pastum;
 Pinguior hoc illa non regione fuit.
 Illum presbitero rapui commedente; vidente
 Ad mense tripodas stans licet ipse fuit.
 Presbiter iratus ad mensam vovit et inquit:
- 715 „Umquam quod vidit talia nemo reor;
 In propria vulpes jam predo domos spoliât me
 Sed quod venerit hucve sibi namque luet.”
 Cultellum sumit, sequitur me cum famulis sex;
 Instant meque fugant; ast ego diffugio;

- 720 Hac Isengrinus qua stabat parte cucurri,
 Ipsis nam volui visus ut ille foret.
 Presbiter exclamat: „ Hanc predam desine predo, „
 Et quia pinguis erat decidit ille michi;
 Ac Isengrinum videt is, dum subleuat illam.
- 725 Huic ultro jaciens impetit ille ferox;
 Fustibus invadunt illum dicti famuli sex;
 Exoritur clamor famaue talis erat:
 „ Presbiteri cameram subiit lupus inque foramen
 Quod subiit captus ventre tenetur adhuc. „
- 730 Conveniunt populi, capitur, trahitur, laceratur,
 Antro detrahitur collaque fune ligant,
 Innectant collo lapidem, sua lumina velant
 Hortanturque canes hunc agitare student
 Donec fessus humi cecidit quasi mortuus herens.
- 735 Dumque vident pueri gaudia magna tenent,
 Imponunt illum feretro, clamore ferentes
 Huc illuc magno cantibus atque jocis;
 Tandem projiciunt in fossam. Qualiter ille
 Fugit et evasit non bene scire queo.
- 740 Tot mala pertulerat per me quod nescio finem.
 Me tamen uxoris plus probra facta movent;
 Hanc erga multum forefeci; me piget huius
 Plus reliquis factis. „ Dicit et alter ad hec:
 „ Nescio sermonem quo vertis: „ Ego forefeci
- 745 Illius uxori, „ nescio quid notat hoc.
 Dic et aperta michi quod scire queam tua facta,
 Si vis consilium quod tibi dem super hiis. „
 Alter ait: „ Si dixissem tibi: „ Cum muliere
 Dormivi patrui, „ non honor esset idem.
- 750 Scitoque quod michi rex non evasit, nisi lusus
 Et lesus fuerit artibus usque meis.

- Talia regine feci, quod vix ad honorem
 Perveniet de me qualia passa fuit.
 Brunum sanguineam faciebam ferre coronam;
 755 Tibertum duxi quo mala pertulerat;
 Clanclero rapui pullos magnos minimosque,
 Hinc de me fuerat justa querela sua.
 Nunc, Grimberte, mea tibi dixi probra michique
 Injungas quod tu videris expediens. "
- 760 Grimbertus sapiens fuerat virgamque revellit
 Cum qua donat ei verbera dena quater;
 Consultit ut psalmos legat errantesque reducat,
 Jejundet, vigilet et sacra festa colat,
 Abjuret furtum, predam, sed et ammodo vivat
 765 Contentus propriis abstineatque malis.
 Arripiuntque viam, postquam confessio facta.
 Constitit, ad regem protinus ire student.
 Statque prioratus ibi nigrarum monacharum
 Non justo calle sed secus inde parum.
- 770 Servat et altilia non pauca domus memorata.
 Novit Reynardus sicque profatus ait:
 " Jam via nostra patet, tendamus eo prope claustrum. "
 Lusit Grimbertum taliter hic et eunt.
 Hicque videt plures gallinas atque capones,
- 775 Unus et ex illis exterius capo stat;
 Impeciit hunc vulpes, spergit plumas; ait alter:
 " O Reynarde miser! desine! quid ne facis?
 Vis nunc confessus ad pristina probra reverti
 Ac abjurati jam reus esse mali?
- 780 Te tedere nimis posset. " Reynardus ad ista:
 " Non michi continget amplius hocque malum
 Istud et oblitus fueram michi quod velut istud
 Indulgere Deus te rogitare rogo. "

- Jam redeunt ad iter, pontem subeunt, retroflectit
 785 Lumina Reynardinus semper ad altilia.
 Grimbertus notat et dicit sic: „Pessime! quidnam
 Est quod agis? Nec adhuc corda domare potes!“
 Et Reynardus ait: „Tu peccas me quia turbas,
 Me duris verbis quippe dolere facis.
- 790 Sum memor auarum, sic altilium et anatum
 Hiis rapui fraude que dominabus ego
 Pro quibus orare studeo.“ Sic fatur, ac ipse
 Spectans altilia, dente ligurrit ad hec.
 Si caput avulsum foret illi jam, nisi fallor,
- 795 Tam rapit altilia quod volitaret ad hec.
 Par huic est qui confessus sua probra nec horret
 Ad mala que planxit prima redire cito.
- Hic vulpes venit coram leone et persuadet pulcre.
 Reynardus graditur, quantoque propinquior aulam
 Aggreditur tanto continet ille metum
- 800 Atque metu sudat; veniens cognoscitur illis
 Cum duce qui fuerant, it manifestus eis.
 Et, regis natus velut esset nec forefactor
 Consciens ullius, ibat in alta means.
 Huncque venire vident hii qui cum rege venerunt;
- 805 Debilis atque potens, pauper et ingenuus,
 Et nullus remanet humili tam stirpe creatus,
 Hunc accusare quin parat atque queri.
 Hic intergressus ad regem dicit: „Ave rex!
 Semper honor tibi sit; sum tibi nempe favens,
- 810 Nec puto quod talem famulum rex ullus habebat
 Et sibi tam fidum quam tibi semper eram,
 Et coram cunctis extollens semper amansque
 Te fuerim, semper letus amore tuo.

- Sed sunt nonnulli qui me privare laborant
 815 Fraude favore tuo sic et honore meo
 Meque gravare student odiumque michi generare.
 Sed nequeunt cum sis providus atque pius.
 Sic nec fallaci vis credere sive dolosis,
 Quod constat ducibus et tibi summus honor,
 820 Nec reges decet ut credant mendacibus aut hiis
 Qui bene noverunt ledere fraude bonos.
 Sed coram ducibus hodie bene credulus aulis
 Falsus adulator regnat habetque locum,
 Sed qui veraces sunt atque boni removentur
 825 Et sunt contempti; curia spernit eos.
 Nec detractori, rex, debes credere cum sis
 Nobilis atque potens, justus amansque bonos. "
 Rex respondet ad hoc: " O fur Reynarde! malignas
 Quantas scis artes; verba dolosa simul
 830 Scis et adulari; nec sit tibi pacificator,
 Ergo sinas fari subdola verba tua.
 Quod tibi gratus eram! Quod servieris tibi reddam
 Grates condignas; premia nempe feres,
 Suspendere reor hac luce, tuumque probabit
 835 Jam collum quantum ponderat ipse culus. "
 " Quantum perdiderim! " Clanclerus ait sive gallus.
 Rex ait: " Os teneas! me sine, galle, loqui;
 Jam respondere sine me fallacibus eius
 Verbis astutis, que bene noverit hic.
 840 O Reynarde! fides et amor famulis modo parent
 Bruno, Tiberto. Quam michi fidus eras
 Tiberto patet in misero Brunoque coronam
 Qui tenet abrasam sanguineumque caput. "
 " Rex, Reynardus ait, mirum loqueris; michi salvo
 845 Si fari liceat illud amore tuo,

- Si rapuit Brunus Lanfreidi mella, quid ad me?
 Si Lanfreidus dedecus intulerit,
 Ex hoc vindictam potuit sumpsisse priusquam
 Fugerat in fluvium, si foret ille valens.
- 850 Sic et in ede mea susceptus honore, quid ad me
 Verbera si tulerit per sua furta catus?
 Presbiteri mures rapturus nocte latenter
 Me sine discessit et sine consilio.
 Quis dubitat quin me, si vis, occidere possis,
- 855 Rex leo? Sive rotis frangere membra mea,
 Seu cruce punire cupias, aut igne cremare
 Aut cecare? Potens es quia vilis ego
 Subque potestate tibi sunt animalia cuncta,
 Illorum tu rex es dominusque simul.
- 860 Justa licet fuerit mea causa nimisque nocens sim
 Sive gravare velis sive gravare potes,
 Ergo parum ceso puto quod me laudis habebis.
 Ire frena tue comprime, parce michi. "
 Astuti tociens sic veris frivola miscent,
- 865 Discerni possunt sic sua verba male.
 Assurgunt statim vervex Belinus et uxor
 Illius, Hawigis agna; loquuntur ita:
 " Omnes surgamus! pereat qui differat ultra!
 Sit monstrata duci nostra querela cito. "
- 870 Consurgit Brunus eius natis et amicis,
 Sic quoque Tibertus, sic lepus atque caper
 Capraque sic et aper, porcus, sus, hynnulus, edus,
 Cervus, equus, mulus, taurus, asellus iners,
 Martarus et migale, luter castorque, tebalus
- 875 Spingaque, mustela, dammula, caniculus,
 Tiselinus corvus, Clanclerus gallus anasque,
 Altilis et perdix, anser et auca simul.

- Hii pro Reynardo jam coram rege queruntur,
 In causamque trahunt hunc faciuntque capi.
- 880 Jam placitare parant, hinc indeque sunt rationes
 Proposite quas non enumerare queo;
 Si vellem cunctas ex ordine pandere causas
 Hinc illinc, longus tedia sermo daret
 Causaque processit potior. Rex cogit in unum
- 885 Cunctos primates iudiciumque petit.
 Reynardum dampnat sententia, jam cruce dignum
 Supplicioque necis quam bene promeruit.
 Grimbertusque videns quod Reynardus reus esset
 Et condempnatus, exiit ille suis
- 890 Nec tolerare potest, quid suspensus foret ille
 Ante suos oculos; dedecus esset ei.
 Cum notis et cognatis abit ille quibusdam
 Ex hiis; cara tamen mors sua talis erat.
 Rex ut erat sapiens multosque videns abiisse
- 895 Grimbertus juvenes, cogitat iste sagax:
 „Sit licet ille malus multosque bonosque parentes
 Servat et hinc posset forte venire malum.“
 Ergo sic loquitur Brunoque lupoque catoque:
 „Quare negligitis nec properatis ad hec?”
- 900 Inclinata dies est et si debeat ille
 Suspendi, fieri jam mora nulla potest.
 Accelerate! frutex multus quoque sepis ubique
 Qua suspendatur; ite, parate crucem.
 Tanta scit ille pedes si ternos sive quaternos
- 905 Effugiat nobis, non bene captus erit.“
 Isengrinus ait: „Prope crux est una parata.“
 Attamen ingemuit dum loqueretur ea.
 Tibertus notat et dicit: „Lupe, jure dolens es,
 Nam tibi Reynardus fidus amicus erat;

- 910 Tradidit ipse tuos fratres Rymum, Wydelantum,
Istos suspendi fecerat ipse duos.
Si, memor istorum, grates sibi reddere velles,
Suspendendus adhuc non foret ille malus. "
- Isengrinus ad hec respondit et ista profatur:
915 " O Tiberte loquax! Scis modo multa loqui,
Et nisi deficerit restis nobis gula sciret
Jam sua de quanto pondere cauda foret. "
- Usque modo tacuit Reynardus; jam loquitur sic:
" Vos domini, penas accelerate meas.
- 920 Tu procurasti, lupe, Reynardus tuus ille
Quod suspendetur, qui fuit ante nepos,
Cum sis electus et Brunus ad hoc properate
Una vobiscum cursitet ipse catus,
Nam funem Tibertus habet collo ligatum,
- 925 Quem tulit e laqueo presbiterique domo.
Scandere Tibertus bene scit; vestra sine pena
Annectet ligno concito funiculum. "
- Isengrinus ait: " Audi, mi Brune, coronam
O per claustralem, quod tenet alta caput,
- 930 Estimo consilium melius nullus dare; optat
Claustralem potum, jamque paremus ei. "
- " Suscipe, Brunus ait, funem Tiberte, tuumque
Nunc oculum solvat iste measque genas.
Hunc suspendamus ad scandala magna parentum
- 935 Jamque luet penas quas bene promeruit. "
- " Tam letam penam, catus inquit, non ego feci
Umquam. " Funiculum protinus arripuit.
Hic tres primates, quos non Reynardus amavit,
Ire parant, Brunus et catus atque lupus.
- 940 Ast Isengrinus cunctis notis et amicis
Commendat, teneant hunc, nec abire sinant.

- Precipue tamen uxori preceperat Hyrce
 Ut semper custos cautus sit eius, ea
 Per barbam teneat, prope stet, nec deserat illum
 945 Vel prece vel precio sive timore necis.
 Reynardus, coram cunctis astantibus, inquit:
 „ O lupe! da veniam jam michi dimidiam,
 Sis licet ipse gravis Hirce matertera, facti
 Cum memor antiqui, tristia nulla dabit.
 950 Ast consanguineum male tractas et catus atque
 Brunus, vos estis jam michi nempe graves.
 Quod moriar facitis et qui me viderit omnis
 Me furem per vos estimet atque vocet.
 Ite, parate crucem, que nunc intenditis in me
 955 Ac de me facere concito perficite.
 Nonne pater moriens liber cura fuit omni?
 Nec timeo mortem, cor michi tale manet,
 Accelerate necem, pereatis ni faciatis
 Atque pedes pereant ossaque vestra simul. „
 960 Respondetur: „ amen, „ tribus hiis ac prosilientes
 Currunt, jocundi gaudia magna tenent.
 Hos dum Reynardus currentes et salientes
 Viderat, intra se cogitat hec et ait:
 „ En quales domini michi funem nectere credunt
 965 Ad suspendendum; non erit ut reor hoc;
 Exultent et prosiliant; si robur habebit,
 Ut michi proficiet, ars mea cuncta luent.
 Malo tamen quod sint procul a me quam prope starent;
 Omnibus hos aliis plus ego pertimui.
 970 Consummare licet artes illas, ego nocte,
 Ante diem recubans, quas meditatus eram;
 Multa licet sapiat rex jam faciam tamen ille
 Quod sit deceptus fraude vel arte mea. „

- Rex jubet ut perflet cornu, tibicen aduncum
 975 Ad cuius sonitum plebs simul omnis eat.
 Protinus educi miserum rex precipit illum;
 Una communes precipit ire feras.
 Ac Reynardus ait: " Sine, rex, crux ille paretur
 In qua suspendar et spacium michi da. "

Hic vulpes publice confitetur.

- 980 " Qui sunt presentes cunctis mea crimina pandam,
 Innocuus quod sit nemo gravatus in hiis. "
 Rex ait: " Ergo refer. " Stat Reynardus quasi tristis
 Et circumquaque prospicit hic et ait:
 " Nullus in hac turba remanet quin sum reus illi;
 985 Actamine actendat que loquor omnis ea.
 Dum mea perfudit etas me primula, simplex
 Et purus fueram; lacte remotus adhuc
 Ivi cum gregibus agnorum ludere pratus.
 Audio banlantes interimoque duos.
 990 In primo lambo de sanguine, postea carnes
 Scindo, placent; leno taliter efficior.
 Post hec ad capras pascentes cursito silvis;
 Macto duos edes hosque latenter edo.
 Post hec altilia, sic ducas, sic et anatas
 995 Quodque invenio strangulo, macto, voro.
 Sic lenociniis assuescens, omnia cernens,
 Interimo rapio que superare queo.
 Inde lupum juxta Wancellis tempore brune
 Invenio; patrum se tulit esse meum
 1000 Et, facti socii, consortia fida vovemus,
 (Huius me potuit juge pigere rei)
 Et que furamur communia sunt; ego parva
 Furor et hic magna; publica sunt tamen hec

- Nec sic publica sunt quin letor si michi posset
 1005 Illorum minima cedere particula,
 Et dum vervecem rapiebamus vitulumve
 Iratam faciem prebuit ille michi;
 Tunc ego communem non audeo tangere predam.
 Convocat hic natos et simul omne vorant;
 1010 Tunc michi vix minima cecidit corrosaque costa,
 Contentus minimis sic ego fui.
 Non tamen inde queror; cum vaccam sive baconem
 Seu magnam predam seu rapimus omne,
 Uxorem septem natos vocat et vovet ille
 1015 Cuncta suis natis stoque remotus ego.
 Nec defectus ad hoc me compulit ullave causa
 Quod patruo vovi sed mea sola fides.
 Huic quoque quam tenui sed et esum si voluissem
 Quesiturus eram ne michi deficeret. »

Hic vulpes decipit regem sic evadendo:

- 1020 » Scito quod sim, rex, argenti dives et auri
 Quod senis vicibus ferre quadriga nequit. »
 Rex respondet ad hec festinans: » Est tibi tamen?
 Nec celato precor unde venit, michi dic. »
 Ille refert: » Te nec celem; furatus ego sum
 1025 Et nisi fecissem mors tibi prompta foret;
 Traditus extiteras quod amicus dedecus esset. »
 Territa regina percipit hec et ait:
 » Heu, mi Reynarde! quid dicis? Dic celer, heu! heu!
 Heu, michi Reynarde! dic rogo cuncta palam.
 1030 Adjuro te per sacra quod dicas modo cuncta
 Morte mei domini cognita que tibi sint! »
 Regem reginam deludit taliter iste
 Arte sua, quod erat factus amicus eis;

- Ac Isengrinum Brunum quoque tradet, ut ipsis
 1035 Rex crudelis erit hosque necare volens.
 Potum claustralem credunt huic fundere, sed fel
 Hiis potum fundit quod sine laude bibent.
 „ O, regina, refert Reynardus, et hec quasi tristis,
 Ordine cuncta tibi pandere proposui
- 1040 Quamvis non monitus; si talia facta tacerem
 Cum formido movi manibus esset onus.
 Si fieri mandet rex ipse silencia, pandam
 Qualiter ad mortem traditus ipse fuit.
 Accusabo meos electos atque propinquos;
- 1045 Invite facio, sum quoque tristis ob hoc
 Nique metu mortis compellerer inde silerem;
 Sed timeo penas hinc inde tartareas. „
 Pectore tristatur rex. At ait: „ O michi verum
 Dicis, Reynarde! „ qui cito dicit ita:
- 1050 „ Ne me mentiri, rex, crede miserque licit sim
 Cum videam quod sim jam moriturus ego.
 Peccasti quod tu loqueris michi sic. An oportet
 Quod dicam verum? Jam mea fata vides! „
 Nutu regine, que regis tristia facta
- 1055 Pertimuit, cunctos rex reticere jubet
 Quemque loqui prohibet, donec cum pace loquendo
 Dicere que captat omnia finierit.
 Jam reticent omnes; rex fari precipit illum.
 Ille, dolo plenus, incipit hec et ait:
- 1060 „ Dummodo me fari rex precipit, omnia pandam
 Qualiter ad mortem traditus ille fuit.
 Huius se pudeat qui promeruit, quia nolo
 Istius sceleris parcere complicibus. „
 Jamque notent omnes carnalem quomodo patrem
- 1065 Grimbertumque simul prodit is hocque facit

- Jamque cupit quod ei credatur ab hostibus illos
 Prodere, si temptet atque gravare velit.
 „ Es Ermerisci dudum pater inveniebat,
 Inquit Reynardus, sicque superbus erit
 1070 Et sic elatus, similes sibi despicit omnes,
 Es illi quoniam corda tumere facit.
 Misit ad Ardenam Grimbertum querere Brunum,
 Multa per hoc mandans verba salutis ei
 Inter que mandat huic, quod jam subeatur ab ipso
 1075 Flandria; si cupiat regis honore regi,
 Si rex esse velit. Brunus letatur ad ista
 Nuncia, rex quoniam gestiit ille fore.
 In Wasiam venit, a patre receptus ibidem;
 Ejus in adventu gaudet et ipse pater
 1080 Grimbertumque vocant Isengrinumque; fuisse
 Istorum quintus dicitur esse catus.
 Hii simul ad villam properant que dicitur Ista,
 Inter Gandavum nunc Wasiamque sita
 Tempore nocturno servant ibi perliamentum,
 1085 Misterium faciunt consiliumque suum;
 Conspirant, jurant inibi supraque coronam
 Hoc Isengrini constituere rarum.
 In solio regni Brunus statuetur ab ipsis
 Rex et Aquisgranum regia septra geret;
 1090 Si rex seu reliqui de regis parte venirent
 Hiis opposcentes vis adhibenda foret,
 Nam pater hos censu removeret copia cuius
 Magna pater fecit omnia posse fidem.
 Omnia prenovi, sed vobis quomodo dicam.
 1095 Grimbertum letum contigit esse mero,
 Cum muliere mea decurreret ille per agros.
 Ut temulentus erat omnia dixit ei;

Illa fidem dederat quod eum non proderet atque
Omnia celaret se reticere vovens.

1100 Ad me, quam primum venit vulpecula conjunx,
Cuncta michi narrat ordine dicta sibi;
Intersigna refert verissima, que bene novi.
Illis auditis frigida corda stupent

Horror et invasit me, nam coma vertice surgit

1105 Namque metu magno mens mea contremuit,
Ranarumque memor, que dudum libera turba,
Nunc trepidant, metuunt alite rege dato
Libera jam dudum sibi postulat a Jove regem,
Clamans cum rauco guttore rana loquax.

1110 Auditis precibus datur ipsa ciconia ranis.
Rex has inventas que vorat atque necat
Perpetuoque metu que dudum libera vixit;
Sic sub rege suo vivere rana timet.
Tunc timui simile nobis contingere posse;

1115 Curas pro nobis tunc ego sustinui,
Tale pro cura me perdere queritis omnes,
Gracia pro meritis redditur ista michi!
Ast ego cognovi Brunum tumidumque malum
Crudelemque feris continuumque dolis;

1120 Ast ego cognovi regem placidumque piumque
Mansuetum, dulcem propiciumque feris.
Talia prodesse nobis non cambia rebar;
Annichilare volo cuncta; laboro nimis
Ut rex permaneat in honore suo; sacra semper

1125 Votis et precibus numina posco piis.
Certus eram semper si gaza patri remaneret
Consumare potens hac sua vota forent.
Hanc ergo patri furari sepe probavi;
Insidias statuens, hanc reperire volens,

- 1130 Si nemus aut agros, si surum sive profundum,
 Si loca vasta colit rurave sive lacus,
 Si villas intrat sum custos nescius illi.
 Ad quemcunque locum vult properare sequor.
 Ast, infra philicem cum quondam, mane, jacerem
- 1135 Pronus, humi tectus, meque latere volens,
 Se levat ex antro genitor collo tenus, illuc
 Ac huc aspiciens. Gaudeo tale videns
 Ac gazam spero cum talia signa viderem
 Illic que fecit; nescius ille mei.
- 1140 Cum caput inflectat, huc illuc respiciendo,
 Et nullum credat affore, prosilit hinc,
 Exiit hinc saliendo diemque salutatur artes
 Hic doceor quarum nescius ante fui.
 Obstruit hoc antrum cum pulvere signaque plamat
- 1145 Ille pedum cauda; sic quoque verrit humum.
 Hiis factis abiit ad villam de prope stantem,
 Qua pingues gallos querit et altilia.
 Detego, ad lustrum propero, genitore remoto,
 Illud et invenio jam bene nosco locum;
- 1150 Ex antro terram moveo pede, jam patet; intro
 In quo thesauri copia magna jacet.
 Credo quod astantum non ullus tot simul ero
 Viderit, inventa quanta fuere michi.
 Nec mora non parco quin nocte dieque laboro
- 1155 Inventas gazas hoc remove loco
 In quo locum fidum plus votum plusque placentem.
 Has muliere mea condere nempe paro
 Eraque transferimus sum (?) sineque quadrigis
 Donec sunt apto condita cuncta loco.
- 1160 Interea Brunus cum complicitibus quid agebat
 Nunc audire palam, nam recitare volo.

- Mittit legatos; spondet stipendia cunctis
 Qui pugnare velint et sua castra sequi.
 Et legatus in hiis Bruni genitor meus ibat;
- 1165 Convocat hic multos undique scripta ferens;
 Westfales cum Saxonibus vocat atque Bohemos,
 Albia quos nutrit circuit atque vocat,
 Omnes, inter eam vocat hic Scecanamque manentes
 Ignorans fures era tulisse sua
- 1170 Ex hiis tres obulos quod non reperire valeret,
 Quamvis hiis tota Flandria posset emi.
 Hic redit et Bruno jam nuncia leta remandans
 Et multos pronos nunciat ille fore,
 Se quoque venturos spondet in vere futuro
- 1175 Et semper pronos eius michi (?) auxilium.
 Narrat se penasque metus multos tenuisse,
 Saxonibus, quando per sua lustra meat;
 Ipsum nam canibus venatores agitabant,
 Hos tamen evasit artibus ille suis.
- 1180 Unguibus ac ore sevos rapidosque ducentos
 Milleque venturos nunciat ille lupos,
 Vulpibus exceptis, ursis taxisque catisque
 Qui veniunt numerus non bene scitur ab hiis,
 Vigintique volunt stipendia ferre dierum
- 1185 Tunc se venturos protinus esse vovent.
 Et, quia furabar gazas patris, omnia per me
 Que proponebant annihilata manent.
 It pater ad gazas; confractum repperit antrum;
 Has quoque sublatas dum videt esse, dolet
- 1190 Et pre tristicia se jam suspenderat ille.
 Bruni cassatum sic perit auxilium!
 Jamque notato meum casum: Brunusque lupusque
 Pro cunctis servant regis amicitiam

Et sunt jam regis de consilio potiores;

1195 Postponor, jam sum vilis habendus ego! "

Rex et regina, cupientes era, vocabant

Hunc ad consilium sicque loquuntur ad hunc:

" Da, Reynarde, tuas nobis gazas! " ait ille:

" Mirum, rex, loqueris talia nempe petens.

1200 Cedere me queris ut ego gazas tibi tradam?

Quod faciam tam sum non ita stultus ego. "

Et regina refert: " Non sic erit; immo tibi rex

Indulget culpas, sis et amicus ei,

Sis prudens vitansque malum, sis ammodo fidus

1205 Sisque per hoc servans regis amiciciam. "

Hic ait: " Annuo sic. Dum rex michi probra remittat

Et modo permaneam factus amicus ei,

Hic quoque coram te voveat michi, sic ego cunctas

Illi jam gazas quas petit ipse dabo. "

1210 " Huic ego si vellem jam credere, rex ait, essem

Jam deceptus ego fraude vel arte tua.

Huic sunt innota mendacia, furta, rapine.

Debeat ut verbis credere nemo suis. "

Ast respondet ad hec hera: " Rex non est ita. Quamvis

1215 Perfidus ille fuit, ammodo fidus erit.

Numquid, ut audisti, Grimbertum prodicione

Hic jam cognatum prodidit atque patrem,

Quod non fecisset si jam nocuus foret ille;

Hanc aliis potuit imposuisse feris. "

1220 Rex respondit ad hec: " Dum tu michi consulis ista

Utar consiliis nunc ego geita tuis.

Reynardum solvam nunc tali condicione

Ammodo quod vivat fidus et absque dolo.

Sed sciat ulterius si perfidus inveniatur

1225 Hic omnesque sui morte feroce cadent.

- Reynardusque videns regem falli bene posse
 Dixerat: " Hoc laudo, rex bone, sicque volo. "
 Coram regina rex omnia facta remittit
 Reynardo, que jam fecerat atque pater.
- 1230 Gaudet Reynardus, quid mirum? numquid et illum
 De seva morte convaluisse videns.
 Indulte culpe Reynardo quando fuerunt
 Exultat, regi talia dicit ovans:
 " Rex et regina, grates vobis hoc ab honore
- 1235 Reddere non valeo quem michi feceritis.
 Non illi sub sole manent quibus ammodo plusquam
 Annuo jam vobis, era tenente mea. "
 Accipiens stramen regi porrexerat illud.
 Stramine porrecto talia dicit ei:
- 1240 " Quas Emericus dives possederat olim
 Accipe, rex, gazas. " Dat quoque stramen ei.
 Accipiens stramen rex grates reddidit ut si
 Tocius hunc mundi constituisset herum.
 Cum sibi tam pronum regem cognoverat, illa
- 1245 Hic ait: " Audi, rex, dictaque mente nota!
 Sol qua parte venit, dum taurus detinet illum
 Hospicio, silvam Flandria fine tenet;
 Dicitur Hulsterlo, puteus quoque de prope dictus
 Krykenput; rarus hunc habitator adit.
- 1250 Desertus locus ille nimis. Non incolit illum
 Quadrupes aut volucris aut homo sive fera.
 Omnis jam volucris trepidat dum transvolat illum;
 Hic pernoctari fit metus huic et onus.
 Bubo sed Escalapus, Hecates temerarius iudex,
- 1255 Nidis ova fovens, incubat et colit hunc;
 Noctua victimine (?) dudum virgo volucris nunc
 Deridens alias incolit ista loca;

- Dicitur illa patris temerasse thorum tenebrisque;
 Ut celet vicium nocte volare studet;
- 1260 Congruit ambobus desertus sic locus iste,
 Istaque incesta, proditor iste fuit.
 Et sic exosi cunctis avibus tenebrarum
 Tempora semper amant, luce volare timent.
 Non ita fidus erit aliquis quem mittere cures,
- 1265 Sed cum regina tu loca dicta pete.
 Stare scias alnos septem puteum prope dictum;
 Illam que puteo proxima stabit adi,
 Terram subter eam tibi quam prediximus alnum
 Transfode, nec dubita, plurima gaza jacet;
- 1270 Hic Emerici selle, gemine, dyadema,
 Regia septra jacent, aurea vasa simul.
 Hiis reor inventis dices: " Reynarde fidelis,
 Era sub hoc musto condere certus eras.
 Nunc, ubicunque manes, sit honor tibi vita salusque
- 1275 Pre cunctis aliis tu michi fidus eras! "
- Rex ait: " O Reynarde! tuas sine te modo gazas
 Nec quesiturus sum sic, nec iturus ad has.
 Tu mecum venies et ad alnum me modo ducas,
 Era jacent sub qua, nescio nempe locum.
- 1280 Norim Parisios et Aquisgranum recitari;
 Dic si vicinus est locus urbibus hiis.
 Krykenput fictum sicut reor est modo nomen,
 Nomine me super hiis fallere queris eo."
 Non bene conveniunt Reynardo regia verba,
- 1285 Et velut offensus talia dicit ei:
 " Jam prope, rex, nunc es velut ex Colonia Mayo
 Et quantum Pasca distat ab Ytalia;
 Ne credas Ararim tibi quod jam nomino Tigrim
 Seu sit pro Scalda Secana dicta tibi.

- 1290 Jam super hiis ducam testes ego sufficientes. „
 Clamat cum magna voce: „ Cuarde, veni!
 Ad regem venias! „ Mirantur quid velit istud
 Que prope sunt stantes respiciuntque fere.
 Ad regem properat trepidatque timore Cuardus,
- 1295 Et Reynardus ait: „ Dicque Cuarde! quid est
 Cur trepidas? An frigus habes? Nolito timere,
 Nullum nempe malum rex cupit, immo bonum;
 Quamque fidem per eam si regine quoque debes,
 Te de querendis dicere vera movet. „
- 1300 „ Jam pro pelle mea perdenda non reticebo
 Quin monitus dicam vera, „ Cuardus ait.
 Jam Reynardus ait: „ Scis Krykenput ubi sit?
 Quis locus aut que sit terra modusve loci?
 Singula dic. „ Lepus inquit ad hec: „ Juxta nemus ille
- 1305 Est locus Ysterlo, quem fugit omnis homo.
 Quadrupedes aliudve pecus puteum fugiunt hunc;
 Desertusque nimis est locus absque bono.
 Hic mala multa tamen frigus sum passus et estus
 Atque per hec dicti sum memor usque loci.
- 1310 Hic percusseram falsi numismatis olim
 Tibundus catulus fecerat ere sagax
 Et cum complicitibus hominum consortia fugit,
 Falsos denarios hic fabricare studens.
 Hoc erat antea quam fueram socius tibi, Rine!
- 1315 Assueti fuimus nos habitare scolis. „
 Tunc Reynardus ad hec ait: „ O michi Rynule, pulcher
 Et dilecte canis, sum memor usque tui!
 Jam presens scires per richmica dicere verba
 Quod numquam regi perfidus ipse fui.
- 1320 Non plus vult a te rex querere. Vade, Cuarde!
 Ad famulos socios jamque redito tuos. „

Consilio regis lepus it. Reynardus ad illum:

„ Numquid, ait, tibi, rex, vera locutus eram? „

Rex inquit: „ Vera sunt jam tua verba; rogo te

1325 Indulge michi quod non tibi credideram.

Consulo quod venias alnumque petas puteumque

Sub qua quam dederis condita gaza jacet. „

Ille refert: „ Mirum loqueris modo, rex; habitare

Si tecum possem, letus et ipse forem

1330 Et sine peccato conversari modo possem

Tecum; nam fore me nunc anathema scias:

Cum lupus intraverat, monachus quasi, religionem

Pascere quem modici non potuere cibi

Atque cibus, quo sex monachi pascuntur, eundem

1335 Quin semper queritur non saciare valet,

Sicque videns illum macerari, debilitari

Utque nepos doleo sumque misertus ei,

Religionis eum suasi dimittere cultum

Et bannus pape me ligat ergo gravis.

1340 Quare pro venia cras mane volo proficisci

Romam, transire tunc ergo capto mare

Nec rediturus ab hinc donec purgatus ab omni

Peccato tecum, rex, habitare queam.

Jam conversari me tecum dedecus esset;

1345 Talem qualis sum me Deus inde juvet. „

Ac rex inquit ei: „ Si te sententia talis,

Posco, diu teneat? „ Alter ad ista refert:

„ Elapsi tres sunt anni quibus inde ligatus

Sum de iudicibus atque gravatus ego. „

1350 Rex „ Reynarde, refert, tecum cum sis anathema

Me conversari non meus esset honor;

Sed lepus aut alius mecum transibit ad era,

Cum fodienda loca sint quibus illa jacent.

- Vade ergo quo te possis absolvere banno
 1355 Ut nobis liceat tunc habitare simul. "
 Hic ait: " In mane primo Romam proficiscor;
 Donec et absolvar non rediturus. " Ea
 Jam respondet ad hec rex: " Te gravat ardua causa,
 Te deus emendet teque redire sinat. "
 1360 Hiis ita finitis, rex scandit ad ardua sedis
 In quo solus stat dum placitare velit,
 Proque tribunali residens animalia cuncta,
 Nata prout fuerant, gramine, sede, sedent.
 Sede humili vulgus sedet; a natalibus orte
 1365 Summis sede fere nobiliore sedent.
 Stat prope reginam Reynardus sicque profatur
 Rex: " Audite fere vulgus et ingenue,
 Magni cum parvis, primates atque tribuni,
 Que vobis mando que volo percipite:

Hic rex precipit Reynardum honorari.

- 1370 **E**n Reynardus adest, cui regine pro rogatu
 Cum vita membra libra cuncta dedi.
 Amplius ex eius causis audire querelas
 Nolo, nec causis plus placitare suis;
 Illi qua propter semel, ac iterum, vice trina,
 1375 Precipio treugas, quas fore mando ratas.
 Eius et uxori natis, ubicumque reperti
 Sint vobis, et ei vos facitote bene;
 Nam de nequiciis respiscens, ammodo justus
 Et fidus cunctis voverit ille fore;
 1380 Cras quoque cum baculo promisit sumere peram;
 Pergere vult Romam, transeat inde mare
 Nec regressurus donec mundatus ab omni
 Sorde sua fuerit nequitiisque suis. "

- Cum pretermittit leges, ut dona sequatur
- 1385 Deviat ex facili curia justicia.
 Sic rex, promisso fallaci lusus et astu,
 Jam condempnatum solverit atque reum.
 Audiit hoc corvus Tiselinus et ipse volavit
 Quo tres hii socii constituere crucem.
- 1390 " Hic miseri quid statis? ait, Reynardus in aula
 Regis principibus celsior omnibus est.
 Indulsit cuncta rex illi crimina vosque
 Multis criminibus prodidit ille duci. "
 " Corve, reor mentiris! " ait lupus et celer ille
- 1395 Mox abit et Brunus concomitatur eum.
 Tibertus nescit quid agat multoque timore
 Territus alta crucis scandit ibique sedet;
 Jam de pelle timet perdenda, lumine ademptum
 Pro nichilo vellet jam reputare suum,
- 1400 Dummodo Reynardo pacaretur, quia fraudes
 Necnon nequicias illius ille timet.
 Isengrinus adest et prosilit, impetu magno,
 Coram rege, loquens verba superba nimis.
 Sic quoque Brunus ait. Mox rex irascitur illis
- 1405 Hec vinculis trudi precipit atque capi;
 Tractantur fede canis ut limphaticus ambo.
 Vinculis truduntur, carceris ima petunt,
 Curia, dona sequens, ligat innocuos nocuosque
 Solvit et hoc presens pagina nempe docet.
- 1410 Nec contentus adhuc hiis, nunc Reynardus at ipsos
 Fraude gravare magis nititur ipse sua.
 Sic regi loquitur: " Cum deficiat michi pera
 De Bruni pelle fac michi fiat, ait,
 Ad longum latumque pedis. " Rex decoriari
- 1415 Particulam pellis precipit atque dari.

- Regine tacite Reynardus in aure susurrat:
„ Vester ego, domina, sum peregrinus, ait;
 Per silvas, montes, colles, per rupta carere
 Non possum caligis, nudus iturus ego;
- 1420 Et quia sic remanens, soleas fac anteriores
 Aptas nempe michi det lupo ipse duas;
 Fac Hirschen amicam soleas dare posteriores;
 Et de jure potest, jam memor huius ero. *„*
 Et regina refert: *„ Tu non, Reynarde, carere*
- 1425 *Hiis potes; ergo sis certus habebis eas,*
*Hii quamvis mortem paterentur decoriari. *„**
Rex ergo fieri protinus ista jubet.
Ossa lupi jam cum pede decoriantur utroque;
Nec tamen os aperit, membra nec ulla movet
- 1430 Sed sanguis nimius fluit inde nichilque sanumque
 Inter crura manet ipsius atque pedes.
 Jam lupa procumbit in gramine, posteriorum
 Ungues et pellem perdidit ipsa pedum.
 Illa licet tristis, Reynardus gaudia ducit
- 1435 Pectore cum leto sicque profatus ait:
„ Dulcis et o cara matertera! carior exstas
Cunctis cognatis sum quoque jure tuis,
Nam pro me passa fueris tu tristia multa.
De cunctis tristor ast ego letor ab hiis,
- 1440 Namque tuas soleas ab amore tuique favoris
 Causa portabo; tu minus ergo dole;
 Tu partem capies cunctorum nempe bonorum
 Que soleis passus sumque lucratus ego.
 Tedeat ergo minus huius te, cara, doloris
- 1445 Es pro cognato quem modo passa tuo. *„*
 Vix valet illa loqui, sed quid responderat audi:
*„ Vindictam de te det Deus ipse citam! *„**

- Ast Isengrinus, Brunus quoque subticuerunt
 Namque gravi lesi debilitate jacent.
- 1450 Non evasisset si jam Tibertus adesset
 Proque suis factis saucius ipse foret.
 Jam socer Alciones, lacrimis Seyca profusis
 Deplorans, oritur noxque peregit iter;
 Solis equos hore jungunt ad plaustra ministrae
- 1455 Sol exit surgens ex oriente citus.
 Jam Reynardus adest, soleis indutus inunctis
 Quas dederant illi jam lupus atque lupa.
 Primates procinctus adit regemque salutat,
 Reginamque simul, sicque profatur eis:
- 1460 „ Jam vester peregrinus adest et abire paratus
 Peram cum baculo vos facitote dari. „
 Rex accersiri Belinum precipit ille.
 Accersitus adest. Rex quoque dicit ei:
 „ Nunc altare para; Reynardo cum baculo da
- 1465 Peram namque suam captat adire viam. „
 Et Belinus ait: „ Jam legis ego faciam nil,
 In pape banno se fore namque refert. „
 At rex: „ Prelati dicunt, quacumque gravatus
 Sorde licet quis sit, crux redimit tamen hanc;
- 1470 Si cruce signatur terram transgressus ad almam,
 Omnia donantur sordeque liber erit. „
 Belinus respondet ad hec: „ Ablata tamen, rex,
 Debent restitui, lex quia dicit ita;
 Peccatum remanet nisi furtum restituatur,
- 1475 Ablatum furtum devorat omne malum.
 Ergo Reynardo, quia fur est perdoque juris,
 Nil faciam cum sic asserit esse palam,
 Ergo prelatos nisi me servaveris horum
 Indempnem. „ Sed rex, quem movet ira, refert:

- 1480 " Malo quod pereas! piget et me te rogitasse,
 Nec te per mensem quid rogitare velim."
 Offensum regem dum Belinus fore novit,
 Jam parat officium concelebrare suum;
 Quo facto, peram Reynardo cum baculo dat;
- 1485 Bannitum tamen hunc noverat ante fore.
 Jussum primatum notat hoc precedere jusso
 Sepe Dei, tamen hoc scandula magna perit;
 Exemplum Belinus erat, qui regis obedit
 Jussis, sed jussum preterit ille Dei.

Hic Reynardus flens valedicit regi.

- 1490 **J**am precinctus adest Reynardus, abire paratus.
 Flens regem cernit seu foret ille dolens,
 Nec dolor ullus erat, aut quod quos deserat omnes
 Non gravat, ut Brunum fecerat atque lupum.
 Ast ait ad cunctos: " Ut vestri me memorari
- 1495 Vultis, sic memores vos simul este mei." "
 Tardus turbat eum discessus, nam reprehendi
 Credit ut est facti conscius ipse sui.
 Hinc ait ad regem: " Michi vestra licencia detur;
 Ire volo." Sed rex talia dicit ei:
- 1500 " Me, Reynarde, gravat quod festinans ita vadis,
 Nam tua scito michi jam mora grata foret." "
 Hic ait: " O bone rex! me jam nolito morari,
 Nam bona non debent facta morata fore.
 Me, rex, ire sinas." " Plus te non quero morari,
- 1505 Rex inquit, pacis tu modo vade viam." "
 Rex cunctas jubet ire feras educere cetu
 Reynardum magno, qui simul ire parat.
 Omnis turba ducis precepto paret et exit
 Ni soli capti qui retinentur ibi.

- 1510 Nam peregrinus abit, peram gestat baculumque
 Quatuor in pedibus calciamenta tenens;
 Tam miro graditur, ut credo quod omnis euntem
 A risu nequeat se retinere videns.
 Colla gerunt peram, baculus quoque de prope pendet
- 1515 Huncque peregrinum calciamenta docent.
 Letaturque videns quod talis turba ferarum
 Mitis ducit eum que modo seva fuit.
 Ille sed in pedibus stat posterioribus eius
 Et veniam grates omnibus orat agens;
- 1520 Hiisque valet ferens, ad regem talia fatur:
 „ Mecum, rex, noli longius ire, bone!
 Impensis a te michi reddo bonis tibi grates
 Undique me famulum noveris esse tuum.
 Ne capti fugiant caveas; fierent fugientes
- 1525 Nam tibi pejores pestiferique magis.
 Ergo redi, bone rex, valeas; in pace morare. „
 Sicque valefacto rex cito regreditur.
 Flet quoque Reynardus fetusque sui piget omnes;
 Sic tristi vultu gaudia dissimulat.
- 1530 Belino, cunctis abeuntibus atque Cuardo
 Blandus adulando, talia fatus ait:
 „ O mites dulcesque fere, mala nulla scientes!
 Vos ambos mecum longius ire rogo.
 Est grave de vobis michi jam discedere, numquam
- 1535 Vos me lesistis quid faciendo mali.
 Atque feris cunctis vos mites atque benigni
 Estis, nec vobis mitior ulla fera est.
 Felix est vestra vita quia vivitis olim
 Sicut ego vixi quando reclusus eram;
- 1540 Fructibus et herbis pasci, non carnibus uti,
 Queritis aut pane deliciisve tibi. „

- Talibus hos verbis Reynardus lusit et arte
 Ambos, quod secum longius ire parant.
 Ad Malepertusum veniunt portequae propinquant.
- 1545 Reynardus eis talia verba dedit:
 „ Stes Beline foris subeamque domos; lepus intret
 Mecum progrediens huncque rogare velis
 Natis uxoriq̄ue mee solacia donet
 Quando relicturus hoc abiturus ero,
- 1550 Nam tristabuntur multum. Belinus ad ista
 Sic ait: „ Hoc facias, care Cuarde, rogo. „
 Reynardus verbis sic dulcibus allicit illos
 Quod tandem secum lustra Cuardus init.
 Sic et adulantes, dum dulcia verba loquuntur,
- 1555 Simplicium tociens corda movere solent,
 Humanas laudes ut querant de benefactis
 Et meritum perdant, in laqueumque cadant.
 Dum sic Reynardus antrum subit atque Cuardus,
 Hermelina suis hoc jacet ipsa satis;
- 1560 Hec dolet atque timet, nam Reynardum fore credit
 In cruce suspensum, vivere nescit eum.
 Hunc sed quando videt, peram baculumque ferentem,
 Indutum soleis, mira videntur ei.
 „ O dilecte, refert, nam tu Reynarde michi dic
- 1565 Qualiter effugiens tu modo liber ades? „
 „ Captus, ait, fueram; me rex dimiserat ire,
 Debeo nam fieri jam peregrinus ego;
 Ast Isengrinus, Brunusque pro me retinentur
 Obsidio; leporem reddidit hunc michi rex
- 1570 Meque gnasse refert illum questumque fuisse
 Rex. Pro me primum jam sua facta luat,
 Subque fide tibi qua teneor, verum tibi dicam:
 Hic non evadet sed modo morte cadet. „

Audiit ista lepus, timet ille paratque reverti.

- 1575 Sed Reynardus ei precipit ipse viam;
 Impetit hunc, tenet hunc; lepus acclamat: „Peregrinus,
 O bone Beline! me necat iste; juva!“
 Deficit ista tamen cito vox, quia strangulat illum
 Reynardus mordens. „Nunc comedamus,“ ait.
- 1580 Convocat hic catulos ad edendum cum muliere.
 Conveniunt et edunt atque cruore bibunt,
 Morte dolent minimum lepore. Vulpecula dicit:
 „Rex valeat, nobis munera qui dedit hec,
 Et sic providit nobis super hiis puerisque,
- 1585 Hunc pinguem leporem qui dedit atque michi.“
 Tunc Reynardus ait: „Nobis bene fiat in illo
 Et nobis leporem tradidit ipse libens.
 Talia dona michi dare jam cupiet, retinere
 Pro mille marcis que tamen ipse neget.“
- 1590 Hermelina refert: „Michi dic que munera sunt hec?“
 Ille refert: „Funis sunt, baculi quoque tres.“
 „Quid vult ex illis? ait hec. Respondet is: „Audi
 At attende, palam singula dico tibi:
 Illorum duo sunt postes sed tercius horum
- 1595 Est trabs; ex illis conspice crux fit ita;
 Me cum funiculo suspendere querit in illa.
 Si sapiam cupiam quo latitare queam
 Ac infra biduum fugiam, minus ipse timebo
 Quo regis jussum quam facit ipse meum.“
- 1600 „Qualiter esse potest istud? michi dic,“ ait ista
 Ille refert: „Juxta jam loca vasta scio;
 Mirtus longa philix sunt hic fragilesque murici
 Ac densi frutices et bonus accubitus,
 Copia nobilium quo noscitur esse ciborum:
- 1605 Anser, anas, perdix et fasianus adest.

- Huc, Hermelina, si mecum tendere captes,
 Possumus hic magnis vivere deliciis;
 Per multos annos nos possumus hic habitare
 Et sciri nullis in latebrisque fore. "
- 1610 Hermelina refert: " Sicut reor hec quia terram
 Nunc abjurasti, perdita pena foret;
 Ad terram sanctam jurasti tendere, peram
 Cum baculo gestas ut peregrinus ades. "
 " Consultus prudens, ait hic, michi dixerat olim,
- 1615 Non fore servanda federa facta metu;
 Que sic juravi sic territus, hec reprobare
 Nunc volo, nam non est firma coacta fides;
 Et quamvis abeam michi non prodesse valebit.
 Ergo michi nunc est gravior ipsa mora.
- 1620 Regi promisi nequeo quas solvere gazas;
 Sic michi mendaci plus inimicus erit,
 Et cum deceptum se per me noverit esse,
 Ut reor, optabit me cruciare magis;
 Sic latitare magis michi quam prodesse abire.
- 1625 Nam nunc discedens ipse redire queam,
 Perque meam barbam Brunus, catus aut michi carus
 Grimbertus non me amplius allicient,
 Regis ad imperium quod plus cupiam properare
 Namque metus tantos sum modo passus ego. "
- 1630 Ergo, moras tantas antro faciente Cuardo,
 Belinus clamat, quem movet ira gravis:
 " Cur tantas cunctas antro facis ipse, Cuarde!
 Exi! nuncque veni! nos et abire sinas. "
 Audit Reynardus; exit et taciteque profatus:
- 1635 " O Beline nepos, ne moveare rogo.
 Consoletur ut amicam lepus ipse morari
 Et flentes pueros hunc et oportet adhuc,

- Nam nimium plorant omnes ducuntque dolorem
 Inmensum quod sum nunc abiturus ego. "
- 1640 Et Belinus ait: " Quid tu, Reynarde, Cuardo
 Fecisti, quod sic vociferatus erat?
 Auxilium voce de me peccit miseranda;
 Quidnam feceris nescio nempe mali. "
- Et Reynardus ait: " Beline, Deus tibi parcat
 1645 Quod presumpsisti dicere tale nephas!
 Dum me ferre videt conjunx peram baculumque
 Extasis arripuit hanc, quia tristis erat;
 Et lepus ista videns clamat: " Beline, venito
 Ut possis amicam jamque juvare meam, "
- 1650 Voceque clamavit magna. " Belinus ad ista,
 Sicut erat simplex: " Jam bene credo, refert,
 Hunc me percepi misero clamore vocantem,
 Deque sua vita tunc pavefactus eram. "
- Hic ait: " Uxorem mallet mala ferre satosque
 1655 Quam leporem; carus est michi nempe nepos.
 Numquid ut audisti discedens rege rogabar
 Ut sibi facta michi littera facta foret?
 (Et coram multis me rex rogaverat illud)
 Hanc si ferre velis estque parata modo. "
- 1660 " Si scirem, Belinus ait, dictamina fida
 Esse tui posses me rogitare bene,
 Aut in qua ferrem michi nunc si pixis adesset. "
- Alter ait: " Credas est ea plena bono,
 Atque tibi peram donabo libencius istam
 1665 In qua ne frangas claudere quivis eam;
 Rexque dabit grates laudesque mereberis inde
 Magnas atque tibi rex erit inde favens. "
 Annuit hoc aries ac Reynardus subit antrum;
 In peram leporis condidit ipse caput.

- 1670 Protulit ex antro peram Reynardus, at illam
 Huic ligat in collo, sic quoque dicit ei:
 „ Ne videas cartam donec rex viderit illam,
 Res quia secreta scripta tenetur in hac.
 Scitoque pro certo quod regi carta placebit;
- 1675 Dic quoque quod manibus est ea scripta tuis,
 Regis consiliis de privatis ita fies.
 Ut magna laude tu venereris ob hoc.
 Sic bonus in populis dicerere notarius ore,
 Consilium queret vulgus habere tuum,
- 1680 In regis fies sic cancellarius aula,
 Pandet consilia rex tibi cuncta sua. „
 Gaudet Belinus et prosiliebat in altum
 Unius in spacium dimidiique pedis.
 „ Domineque Reynarde, scio quod me diligis, inquit;
- 1685 Extolli cum me queris honore magis;
 Sic per te cunctis regis venerabor in aula,
 Cum scierint quod sim regis amicus ego;
 Quod scio dictare pulchre dicent leviterque
 Et dicar populi scriptor in ore bonus,
- 1690 Quamvis non fuerim; sic multi sunt ad honorem
 Profecti quorum musa pusilla fuit. „
 Hinc ad Reynardum dicit: „ My domine! Cuardus
 Quid dicit? Numquid iturus erit? „
 Ille refert: „ Non ibit adhuc secretaque pandam
- 1695 Illi quem regi nuncius ire foret.
 Suaviter ergo viam precede per hanc et eadem
 Te cito promotus ille secutus erit. „
 Sicque vafaciens abit hic, acquirit eundo
 Jam sibi grande nephas perpetuumque metum.
- 1700 Sic et adulantum multi, quos ambitus urget,
 Nutu falluntur in laqueumque cadunt.

- Ac Reynardus item subit antrum; sic mulieri
 Atque suis catulis ipse profatus ait:
 „ Jam vos cum magno rex sicut credo tumultu
 1705 Queret vos omnes morte perire volens.
 Ergo parate fugam; non est mora libera nobis.
 Sum vir sumque pater, vos preparate citi. „
 Ad cuius vocem surgunt omnes fugiuntque
 Desertumque petunt ut latitare queant.
- 1710 Ad medium celi spacium jam duxerat axem
 Chirius ac umbras fecerat exiguas,
 Perque polum jam declivem descendere querens
 Versus ad occasum themo reflexus erat,
 Cum Belinus adest ad regem, rexque videns hunc:
- 1715 „ O Beline quid est? dixerat, unde venis?
 Quo noster peregrinus abit? dic, cuius an eius
 Est hec pera? quid hec vult sibi curque venis? „
 At Belinus ait: „ Peregrinus, abire paratus,
 Ut ferrem cartam me rogat ille tibi:
- 1720 „ Grata duci fiet gratesque mereberis, inquit,
 Dignas, si tuleris; rex erit ipse favens. „
 „ Ista libens faciam, dixi, si sit michi pixis
 Sive quid hanc in quo jam queo ferre duci. „
 Sic dedit hic peram cartamque recondit in illam
- 1725 Et hanc in collo mox ligat ille meo.
 Cartam dictabam, quidquid michi venerit inde,
 Et de consiliis est ea facta meis. „
 Ambitus et vana Belinum gloria talem
 In laqueum ducunt, unde redire nequit.
- 1730 Ad missas cartas Boccardus simeus omnes
 Suetus adest legere, clericus ipse ducis.
 Pera datur, sumitque datam, sumptamque resolvit.
 Ostendit leporis hec resoluta caput;

- Reynardi jam patet opus, similem quoque semper
 1735 Finem sortitus, et caput eius opus.
 Et Boccardus ait: *„Leporis caput ecce Cuardi!
 Nunquam visa michi littera talis erat.„*
 Emittit talem rugitum rex leo, cernens,
 Quod pavido cuncte contremuere fere
- 1740 Horribilique sono percussa timore ferarum.
 Stat sed non audet turba movere pedem.
 Jam Fyrapellis adit regem tristem, leopardus
 Hunc ut soletur regius ille nepos:
„ Desine, ait, tantum rex exercere dolorem
- 1745 Non pulchrum flere regibus esse reor;
 Mortua te coram quamvis regina jaceret
 Attamen ille dolor immoderatus erat. *„*
 At rex: *„ Care nepos, peregrinus garcio nequam
 Me lusit, quod erit vix michi salvus honor, „*
- 1750 Primatesque duos et primos inter amicos
 Offensos nimium tradidit ille michi.
 Isengrinus atrox, Brunus quoque fortis et audax,
 Hii sunt quos nimium leserit ira mea;
 Illis offensis vix umquam pacificabor,
- 1755 Et merito, quin sum gravis innocuis. *„*
*„ Hanc, Fyrapellis ait, rex, pretermitte loquelam,
 Tu quia cum sis rex non querulosus eris;
 Erratum si sit error revocabilis esto,
 Hiis si peccasti corrige facta tua.*
- 1760 Emendam facias illis dignam, tibi pandam
 Quid facias, nostris utere consiliis.
 En est Belinus mortis reus ille Cuardi
 (Ut confessus erat nec revocare potest,)
 Et sic concilio reus est factus fericida;
- 1765 Idcirco culpam senciati ille suam,

Illis tractatur cum posteritate perhenni
 Hunc ut edant; veniat ulcio talis ei
 Et jam Reynardi cum cuncta tecta petamus.
 Inventus si sit interimamus eum."

- 1770 Rex ait: " Hoc laudo fieri si talia possent,
 Hiis quoque sic essem pacificatus ego. "
 Ac Fyrapellis ait: " Temptatum convenit ire. "
 Sic abit ad captos atque resolvit eos;
 Ille refert: " Vobis ex regis nuncio parte
- 1775 Treugas et firma federa pacis ego.
 Huncque mali facti piget emendareque captat
 Jam vobis quidquid fecerit ipse mali.
 Perque suam culpam se vos offendere nunquam
 Spondet, sed stabilis semper amicus erit
- 1780 At de consilio sicut perfeccius eius
 Versetur vestro curia consilio,
 Cumque suis cunctis Belinum jure perhenni
 Jam tradidit vobis, vos ut edatis eos,
 Reynardoque simul cunctisque suis noceatis
- 1785 Satis delicti tocius absque nota,
 Quocumque inventi fuerint silvisque jugisque
 Jam sine delicto vos capiatis eos.
 Hec vobis offert rex, sed jurare favorem
 Sic vos et vestros vult sibi perpetuum.
- 1790 Hec quoque sumentes possitis vivere pace
 Et quod sumatis audeo consulere. "
 Consilium lupus et Brunus super hiis habituri
 Cognatos adeunt consiliumque petunt.
 Tandem consulti se facturos fore dicunt
- 1795 Omnia, dum rex hec firma tenere velit.
 Omnes conveniunt se coram rege, statutum
 Ut fedus firment constituentque ratum.

- Sed cum Belinus id cognovisset ab ipso
 Curia deseritur et fugitivus abit,
- 1800 Ac fugiens hominis suffragio querit ab illo;
 Defendi captat taleque fedus init:
 Anno sumendum confert huic vellus in omni
 Et sic vestitus quod tueatur eum;
 Sic homo placatus hunc defensare laborat,
- 1805 Illi pastores deputat atque canes;
 Sic fit servilis; vitam terrore perhenni
 Ducit que dudum libera vixit ovis;
 Hanc licet innocuam dampnat confessio simplex
 Defensare nequit quam sua simplicitas.
- 1810 Sicut testantur Nasonis Pontica scripta:
 Non est confessi causa tuenda rei.
 Facta per Isaidem sic littera lusit Uriam,
 Mecha duci nubit, innocuus sed abit.
 Nulla tamen culpa est huius confessio stulta
- 1815 Istum condempnat sic licet innocuus.
 Rex sic proscriptum Belinum dampnat et ipsum
 Ursis expositum iudicat atque lupis
 Et sic decipitur mala per consortia vulpis.
 Tuque malos vita ne moriaris ita.
- 1820 Regem delusum postquam scivit catus esse
 Mox adit regem, de cruce prosiliens;
 Mures Tiberto sic conceduntur edendi
 Inque hominum tectis huic habitare datur.
 Rex oculi redimens jacturam tradidit illi
- 1825 Mures et glires interrimatque eos.
 Ad Malepertusum rex cum multis properabat
 Reynardum querens huncque necare volens,
 Et non inventum proscriptum iudicat illum,
 Exilio dampnans hunc cito perpetuo.

- 1830 Inde suas edes sterna precepit et uri
 Ut sic bannitus igne fugatus eat.
 Et sic, exosus animalibus omnibus, ille
 Raptibus et furtis vivere nempe datur.
 Curia dividitur, ad propria quisque redibat.
- 1835 Fabula finitur methaque finis adest.

Hoc opus exegi, quod non delere vetustas
 Impia nec potuit rumpere livor edax.
 Suscipe Baldwini metra qualiacunque, Johannes,
 Nomine qui juvenis, corpore nempe senex,


- 1840 Extinctus vives cum vate tuo, quia seris
 Nomina servabunt carmina nostra tua.
 Eternum vivas post debita corporis; at nunc
 Ad decus ecclesie vive valeque diu.
 Si quid habent veri vatum presagia, magnus
- 1845 (Nuncio presaga mente) futurus ades.
 Insula congaude, cum presit prepositure
 Iste tue, similem vix habitura patrem.

Finit Reynardus, per quem signatur iniquus
 Quivis deceptor quem leo celsus odit.

- 1850 Quamvis proscriptus sit Reynart, vis tamen eius
 Urbibus et castris regnat et ecclesiis.

Integumenta quorundam nominum:

Reynardus	Vulpes.
Malepertusum	Domus Reynardi.
Hermelina	Uxor eius.
Rex	Leo.
Brunus	Ursus.
Isengrinus	Lupus.
Cuardus	Lepus.
Belinus	Ovis.
Tibertus	Catus.
Curtois	Canis.
Pancetus	Castor.
Clanclerus	Gallus.
Tiselinus	Corvus.



This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

3009173

DEC 25 1973

CANCELLED

WIDEN^{ER}
WIDENER
JUN 24 2003
SEP 10 2003
CANCELLED
LATE DUE

